


B. ALBERTI
DOCTORIS MAGNI
ex Ordine Prædicatorum
EPISCOPI RATISPONENSIS

D E

ADHÆRENDO DEO
LIBELLVS.

Accedit eiusdem ALBERTI Vita,
DEO ADHÆRENTIS exemplar.





ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.
M. DC. XXI.



Reuerendo Domino

IO. ANTONIO GABVTIO

CONGREGATIONIS CLERICORVM REGVLARIVM S. PAVLI PRESBYTERO

Balthaſar Moretus

S. P.



EATI ALBERTI, Doctoris nomine & re MAGNI, De adhærendo Deo Libellum, qui mei Plantini (cuius animæ Deus æternùm

 bene-

benefaciat) typis olim editum, quia non ſemel, R^{de} DOMINE, à me poſtulaſti, nunc recuſum ad te mitto. Libellum mole exiguum, argumento eximium: & hoc vnico abs te æſtimari & probari ſcio. nec proinde, quod præfando alij ſolent, gratum acceptumq́ue vti habeas, rogo: an verò gratiorem quàm antehac haberi oporteat, quòd antiquæ editionis ope, meaq́ue operâ, aliquantò iam melior prodeat, beneuolentiæ tuæ diſpiciendum committo. Si aliquando manuſcriptum bonæ fidei codicem nanciſci contingat; eiuſmodi ſpongiâ, ſi qui forſitan ſuperſint, næui eluentur.

Paradiſus Animæ eiuſdem Aucto-

Auctoris comitari Libellum hunc ſolet : ſed quoniam à P. Sommalio Societatis Iesv Sacerdote nuper recenſitus, abundè etiānunc ſeorſim exſtat, vniones iſtos modò haud coniungo. Vt tamen illuſtrior hic appareat, manumq́ue vtentis impleat, B. Alberti Vitam, à præclaro olim Sacri Patrum Prædicatorum Ordinis Theologo conſcriptam, verum Deo adhærentis exemplar ſubiungo.

Tuas hîc laudes minimè attingo ; à quibus ſingularis tua Modeſtia me terret ; non Doctrinam, non Pietatem extollo; quarum alteram Pii V. Sanctiſſimi Pontificis Vita quàm elegantiſſimè deſcripta

teſtatur, alteram vel deſiderium huius Libelli confirmat: neque enim delectari eo poteſt, qui non ad ſummam Pietatis perfectionem adſpirat. Vale Illuſtre Congregationis tuæ decus, tuo & communi tuorum bono. Antuerpiæ, in Officinâ Plantinianâ, Kalend. Mart. M. DC. XXI.



B. AL-

B. ALBERTI DOCTORIS MAGNI ex Ordine Prædicatorum EPISCOPI RATISPONENSIS DE ADHÆRENDO DEO LIBELLVS.

CAPVT I.

De vltima & summa perfectione hominis, quantum in hac vita poßibile est.



OGITAVI mihi aliquid vltimatè (in quantum possibile est in huius exilij & peregrinationis immoratione) depingere, scriptitando de & super ab omnibus plena & possibili abstractione, & cum solo Domino

Deo expedita, secura, & nuda firmaque adhæsione: præsertim cùm ipsius Christianæ perfectionis finis sit charitas, qua Domino Deo adhæretur. Ad quam quidem adhęsionem charitatiuam omnis homo de necessitate salutis tenetur; quod fit præceptorum obseruantia, & diuinæ voluntatis conformitate: quorum obseruantia excludit omne quód repugnat charitatis essentiæ & habitui; cuiusmodi sunt peccata mortalia. Religiosi verò adstrinxerunt se etiam ad Euangelicam perfectionē, atque ad ea quæ supererogationis & consilij sunt, per quæ expeditiùs ad vltimum finem, qui Deus est, peruenitur: per quorum obseruantiam excluduntur ea etiam quæ impediunt actum seu feruorem charitatis, quò minùs possit quis in Dominum Deum ferri; cuiusmodi sunt abrenuntiatio omnium rerum, corporis insuper & animæ, professionis dumtaxat voto excepto. Quoniam quidem *spiritus* cùm sit Dominus *Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*; id est, cognitione & amore, intellectu & affectu, ab omnibus phantasmatibus nudis. Hinc est & illud

Ioan. 4.

illud Matth.6. *Cùm adoraueris, intra in cubiculum tuum*, id eſt, cordis tui intima: *& clauſo oſtio*, ſcilicet ſenſuum tuorum, & inibi corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta *ora Patrem tuum* in ſpiritu & veritate *in abſconſo.* Quod tunc congruè fit, cùm homo ab omnibus alijs fuerit exoccupatus & exutus, & totus intra ſe receptus; vbi vniuerſis & ſingulis excluſis & oblitis, coram Ieſu Chriſto, tacito ore, ſola mens deſideria ſua ſecurè Domino Deo ſuo fiducialiter pandit, ac per hoc toto cordis & amoris affectu ſe in eum intimiſſimis medullis omnium virium ſuarum ſinceriſſimè ac pleniſſimè diffundit & immergit, dilatat & inflammat, & reſoluit in ſe. Matth.6.

CAPVT II.

Qualiter quis omnibus aliis ſpretis ſoli Chriſto inhæreat & intendat.

VERVMTAMEN quicumque talem ſtatum aggredi & ingredi deſiderat & ſatagit, opus eſt omnino, vt velut clauſis oculis & ſenſibus, de nullo ſe

 peni-

penitus implicet aut perturbet, sollicitus sit aut curet; sed cuncta tamquam impertinentia & noxia ac perniciosa funditus excutiat. deinde se totum intra se recipiat, nec aliud vnquam obiectum inibi mente attendat, quàm solum Iesum Christum vulneratum; sicque per eum in eum, id est, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima diuinitatis suæ, sedulò & obnixè intendat: ibique se suaque singula ac cuncta, indiscussè, suæ infatigabili prouidentiæ committat expeditè & securè, iuxta illud Petri: *Omnem sollicitudinem proiicientes in eum*, qui potest omnia. Et iterùm: *Nihil solliciti sitis*. Et rursus: *Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet*. Et iterùm: *Mihi adhærere Deo, bonum est*. Et: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*. Et Sponsa in Canticis: *Inueni quem diligit anima mea*. quippe *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Nempe hic est thesaurus ille cælestis absconditus, necnon margarita pretiosa, quæ præ omnibus comparata fiducia humili, conatu instantissimo, taciturnitate tranquilla, etiam vsque ad corporalis commodi, lau-

1 Pet. 5.
Philip. 4.
Psal. 54.
Psal. 74.
Psal. 15.
Cant. 3.
Sap. 7.

dis vel honoris iacturam, in fortitudine ſpiritus quæritur. Alioquin quid proficit Religioſus, ſi totum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? Aut quid releuat ſtatus, profeſſionis ſanctitas, perfectionis habitus, tonſura, & exterioris diſpoſitio conuerſationis; ſine vita in ſpiritu humilitatis & veritatis, vbi Chriſtus habitat per fidem charitate formatam? Hinc eſt illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt*, quod eſt Chriſtus Ieſus. Luc. 17.

CAPVT III.

Quæ ſit conformitas perfectionis hominis in hac vita.

PORRO quantò plus mens ſollicita eſt ad iſta inferiora & humana cogitanda & tractanda, tantò plus à ſuperioribus & cæleſtibus per deuotionis intimâ elongatur: & quantò feruentiùs ab inferiorum memoria, affectu & intellectu ad ſuperiora ſenſus colligitur, tantò perfectior erit oratio, & purior contemplatio: quia ſimul perfectè non poteſt eſſe vtriſque intenta, quæ ſicut

lux & tenebræ ſunt diuiſa. Quippe qui Deo adhæret, verſatur in lumine: qui verò mundo adhæret, in tenebris eſt. Qua ex re, eſt hominis in hac vita ſublimior perfectio, ita Deo vniri vt tota anima cum omnibus potentijs ſuis & viribus in Dominum Deum ſuum ſit collecta, vt vnus fiat ſpiritus cum eo, & nihil meminerit niſi Deum, nihil ſentiat vel intelligat niſi Deum, & omnes affectiones in amoris gaudio vnitæ, in ſola Conditoris fruitione ſuauiter quieſcant. Imago enim Dei in his tribus potentijs in anima expreſſa conſiſtit, videlicet, ratione, memoria, & voluntate. Et quamdiu illæ ex toto, Deo impreſſæ non ſunt, non eſt anima deiformis iuxta primariam animæ creationem. Forma nempe animæ Deus eſt, cui debet imprimi, ſicut cera ſigillo, & ſignatum ſigno ſignatur. Hoc autem numquam plenè fit, niſi cùm ratio perfectè iuxta capacitatem ſuam illuminatur ad cognitionem Dei, qui eſt ſumma veritas; & voluntas perfectè afficitur ad amandam ſummam bonitatem, & memoria plenè abſorbetur ad intuendum & fruendum æterna felicitate, & ad

ſua-

ſuauiter & delectabiliter in ea quieſcendum. Et quia in horum conſummata adeptione conſiſtit gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria; liquet quòd iſtorum perfecta inchoatio eſt perfectio in hac vita.

CAPVT IV.

Qualiter operatio humana debeat eſſe in ſolo intellectu, & non in ſenſibus.

FELIX ergo, qui per abſterſionem continuam phantaſmatum & imaginum, ac per introuerſionem & inibi per ſurſum-ductionẽ mentis in Deum, tandem aliquando obliuiſcitur phantaſmatum quodammodò, ac per hoc conſequenter operatur interiùs nudo ac ſimplici ac puro intellectu & affectu circa obiectum ſimpliciſſimum Deum. Omnia igitur phantaſmata, ſpecies, imagines, ac formas rerum omnium citra Deum à mente reiicias, vt in ſolo nudo intellectu & affectu ac voluntate tuum pendeat exercitium circa Deum intra te. Nempe finis omnium exerci-

tiorum hic eſt, ſcilicet intendere & quieſcere in Domino Deo intra te per puriſſimum intellectum, & deuotiſſimum affectum ſine phantaſmatibus & implicationibus. Huiuſmodi autem exercitium non fit in organis carneis, & ſenſibus exterioribus, ſed per quod quis homo eſt. homo verò quis eſt intellectu & affectu. Et idcircò quamdiu homo cum phantaſmatibus & ſenſibus ludit, & eis inſiſtit, videtur nondum exiſſe motus & limites beſtialitatis ſuę, hoc eſt, illius quod cum beſtiis habet commune. Quia illæ per phantaſmata & per tales ſenſitiuas ſeu ſenſibiles ſpecies cognoſcunt & afficiuntur, & non aliter, eò quòd altiorem vim animæ non habeant. Secùs eſt de homine, ſecundùm intellectum & affectum & liberum arbitrium, ad Dei imaginem & ſimilitudinem creato; quibus debet Deo immediatè, purè & nudè imprimi, & vniri, firmiterque inhærere. Quamobrem diabolus diligentiſſimè & maximè conatur impedire illud exercitium, quantum poteſt, ex quo eſt quodammodò pręambulum & initium vitæ æternæ, inuidens ſuper hoc homi-

ni.

ni. Idcircò nititur ſemper mentem hominis alienare à Domino Deo, nunc per iſtas, nunc per illas tentationes ſeu paſſiones, nunc ſollicitudine ſuperflua & cura indiſcreta, nunc turbatione, & conuerſatione diſſoluta, curioſitateque irrationabili: nunc per ſtudia librorum ſubtilium, colloquia aliena, rumores & nouitatem: nunc per aſpera, nunc per contraria, &c. Quæ tamen etſi nonnumquam leuia & tamquam nulla videantur peccata; tamen magna ſunt impedimenta huius ſancti exercitij & operis. Et ideò, etiam ſi vtilia & neceſſaria viſa fuerint, ſiue magna ſiue parua, vt noxia & pernicioſa illicò ſunt reiicienda penitus, & à ſenſibus propellenda. Summoperè igitur neceſſarium eſt, vt audita, viſa, facta, & dicta, & cetera ſimilia ſine phantaſmatibus, imaginibus & occupationibus recipiantur, nec etiam ex conſequenti vel anteà vel tunc ſuper hoc phantaſmata & implicationes formentur & nutriantur. Et ita quando phantaſma non venit ad memoriam & mentem, tunc non impedit hominem, ſiue in oratione, meditatione, & pſalmodia, ſiue in alia quacum-

que operatione & exercitatione ſpirituali; nec rurſum iteratò occurret ei. Et ſic expeditè ſecureque te totum, etiam plenè omnia & ſingula committe infallibili & certiſſimæ diuinæ prouidentiæ cum ſilentio & quiete, & ipſe pugnabit pro te: & meliùs, honeſtiùs ac dulciùs liberabit te & conſolabitur, quàm ſi tu ſemper die noctuque de hoc continuè phantaſiareris, & vana vagaque ac captiua mente fatuè ſic & ſic, hinc & inde diſcurreres errabundus, necnon mente & corpore deficiens tempus perderes, & vires ſtultè ac irrationabiliter conſumeres. Cuncta ergo & ſingula, vndecumque & qualitercumque occurrentia ortum habeant, ſic accipe cum taciturnitate & tranquillitate æquanimiter, quemadmodum de manu paternæ diuinæque prouidentiæ tibi venirent. Nuda igitur te à phantaſmatibus omnibus rerum corporearum, iuxta tui ſtatus & profeſſionis exigentiam; vt nuda mente & ſincerè inhæreas ei cui te multipliciter & totaliter deuouiſti, vt nihil quodammodò poſſibile ſit medij inter animam tuam & ipſum, vt purè fixeque fluere poſſis à vul-

vulneribus humanitatis in lumen suæ diuinitatis.

CAPVT V.

De cordis puritate, quæ est præ omnibus sectanda.

SI igitur recto & securo tramite ac breuiter ad finem beatitudinis viæ & patriæ, gratiæ & gloriæ, peruenire desideras & satagis; tunc intenta mente sedulò aspira ad perpetuam cordis munditiam, & puritatem mentis, ac sensuum tranquillitatem: atque cordis affectum recollige, & iugiter defige sursum in Dominum Deum. & inter hæc abstrahe te à familiaribus tuis, & ab omnibus hominibus, in quantum in te est, & negotiis huiusmodi propositum tuum impedientibus; semper captans opportunitatem, vbi & quando possis locum, tempus, & modú reperire quietis ac contemplationis, carpens silentij secreta, præsentisque sæculi vitare naufragia, necnon perstrepentis mundi fugere perturbationes. Qua de re omni tempore puritati, munditiæ, ac quieti

quieti cordis principaliter ſtude: vt videlicet continuè, velut clauſis carnalibus ſenſibus, in temetipſum conuertaris; & cordis oſtia à formis & phantaſmatibus ſenſibilium, & imaginationibus terrenorum, quantum poſſibile eſt, habeas diligenter ſerata. Nempe cordis puritas, inter omnia exercitia ſpiritualia quodammodò (tamquam finalis intentio, ac laborum omnium retributio, quam in hac vita ſpiritualis quiſque & verè religioſus recipere conſueuit) ſibi vendicat principatũ. Idcircò cor tuum, ſenſus, & affectum, cum omni diligentia, ſolertia & conatu, abſoluas ab his omnibus quæ libertatem ipſius poſſent impedire; inſuper ab omni re mundi poſſibilitatem habente alligandi & vincendi te. Sicque cunctas diſperſiones cordis, & affectiones mentis, in vnum verum, ſimplex, & principaliſſimum bonum recolligere, & intra te tamquam in vno loco recollectas habere agoniza; ac per hoc rebus diuinis Deoque mente ſemper inhærere, atque derelicta fragilitate terrena cor ad ſuperna in intimis tuis in Ieſu Chriſto iugiter transformare conare. Quapropter ſi

incipis te nudare & purificare à phantasmatibus & imaginibus, & simplificare & tranquillare fiducialiter in Domino Deo cor tuum & mentem tuam, vt haurias & sentias fontem diuini beneplaciti in omnibus interioribus tuis, & per bonam voluntatem sis Deo vnitus in intellectu; sufficit tibi hoc pro omni studio & lectione sacræ Scripturæ, & ad dilectionem Dei & proximi, vt vnctio docet. Omni igitur studio, conatu, & labore simplifica cor tuum, vt à phantasmatibus immobilis & tranquillus conuertaris, & stes in Domino semper intra te, tamquã si anima tua sit in illo NVNC æternitatis, id est, diuinitatis, taliter scilicet, vt amore Iesu Christi, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta teipsum deseras, & totum te Deo in omni tribulatione & euentu totaliter plenè committas, eiusque voluntati & beneplacito parere semper & patienter affectes. Quod vt fiat, necesse est, vt frequenter ad cor redeas, & in eo persistas; & ab omnibus, quantum possibile est, teipsum absoluas: mentis oculum semper in puritate & tranquillitate custodias; intellectum à phan-

à phantasmatibus & formis rerum infimarum preserues: voluntatis affectum à curis terrenorum penitus absoluas, & summo vero bono amore feruido radicitus inhæreas: memoriam quoque iugiter habeas sursum eleuatam, & in ipso eodem vero summo bono ac solo essentiali & increato firmiter stabilitam: ita dumtaxat, vt tota anima cum omnibus potentiis & viribus suis in Deum recollecta, vnus fiat spiritus cum eo, in quo summa perfectio viæ consistere cognoscitur. Hæc verò vnitas spiritus & amoris est, quo homo omnibus votis supernæ & æternæ voluntati conformis efficitur, vt sit per gratiam, quod Deus est per naturam. Intereà animaduertendum, quòd in eo ipso momento, quo quis suam Dei auxilio potest vincere voluntatem, id est, inordinatum amorem aut zelum à seipso abiicere, sic scilicet, vt Domino Deo de omni sua necessitate audeat planè totaliter confidere; hoc ipso facto in tantum Deo complacet, vt suam ei gratiam largiatur, & per ipsam gratiam veram sentiat charitatem & dilectionem, omnem ambiguitatem & timorem

rem expellentem, in Deoque confidenter ſperantem. Itaque nihil beatius eſſe poteſt, quàm omnia in illo ponere, in quo nullus eſt defectus. Proinde quamdiu ſtas in te, & non ſtas, proiice te totum in Deum ſecurè; & ſuſcipiet te, ſanabit & ſaluabit te. Hæc ſi continuè intra te veraciter reuolueris, plus tibi ad beatam vitam conferent, quàm omnes diuitiæ, deliciæ, honores, inſuper & omnis ſapientia & ſcientia huius ſæculi fallacis, & corruptibilis mundi & vitæ, etiam ſi in his excelleres omnes qui vnquam fuerunt.

CAPVT VI.

Quòd adhærere debet homo deuotus Deo, nudato intellectu & affectu.

ET quia quantò magis te nudaueris à phantaſmatibus & implicationibus exterioribus mundanis & ſenſibilibus, tantò magis anima tua recuperabit vires & interiores ſenſus ſuos, vt ſapiant ei quæ ſurſum ſunt: diſce ergo abſtinere à phantaſmatibus & imaginibus rerum corporalium; quia ſuper omnia

omnia placet Deo mens nuda ab huiuſmodi formis & ſpeciebus, cuius etiam deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum; videlicet qui à talibus occupationibus & diſtractionibus & paſſionibus tranquilla, pura & ſimplici mente ſibi intendunt, vacant & adhærent. Alioquin ſi in talibus memoria, imaginatio & cogitatio tua ſæpè vacat, neceſſe eſt, vel rebus nouis, vel reliquijs antiquorum deliniri, vel ſecundùm alia obiecta variè qualificari. Vnde Spiritus ſanctus aufert ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu. Verus itaque Ieſu Chriſti amator ſic debet eſſe vnitus intellectu per bonam voluntatem diuinæ voluntati & bonitati, & nudus ab omnibus phantaſmatibus & paſſionibus, vt non aduertat ſi derideatur, diligatur, vel quidquid ſibi inferatur. Voluntas namque bona omnia complet, ſuper omnia eſt. Vnde ſi voluntas adſit bona, & Deo in intellectu purè conformis & vnita fuerit, non nocet ſi caro & ſenſualitas & exterior homo moueatur ad malum, & torpeat ad bonum, aut etiam ſi interior homo torpet deuotionem affectare; ſed tantùm fide & bona vo-

luntate adhærere debet Deo in intellectu nudè. Et hoc facit, si omnem imperfectionem & nihileitatem suam animaduertat, & cognoscat bonum suum in solo Creatore consistere, & cum suis potentiis & viribus se ac cunctas creaturas relinquit, atque ex toto & totum se in Creatorem suum immergit; ita quòd omnes operationes suas dirigit purè ex toto in Dominũ Deum suum, nec extra eum quidquam quærit, in quo percipit inuenisse omne bonum, & omnem felicitatem perfectionis. Et sic transformatur quodammodò in Deum, quòd nec cogitare, nec intelligere, nec amare, nec memorare potest, nisi Deum pariter & de Deo: creaturas autem alias & seipsum non videt, nisi tantùm in Deo, nec diligit nisi solum Deum, nec memoratur de eis vel de se, nisi in Deo. Hæc verò cognitio veritatis semper facit animam humilem, seipsam, non alium iudicantem: sed econtrà mundana sapientia facit animam superbam, vanam, turgidam, & vento inflatam. Sit itaque hæc spiritualis & fundamentalis doctrina, quòd accedens ad Dei notitiam, seruitium & familia-

miliaritatem, & si vis Deum veràciter possidere, necesse est, quòd cor tuum denudes omni amore sensibili, non tantùm cuiuscumque personæ, sed etiam cuiuscumque creaturæ; vt simplici ac toto corde, secundùm omne tuum posse, tendas in Dominū Deum tuum creatorem, liberè, absque omni duplicitate, cura & sollicitudine, plena fiducia in sola eius prouidentia de omnibus.

CAPVT VII.

Qualiter cor sit recolligendum intra se.

PRÆTEREA, sicut dicitur in libro De spiritu & anima cap. XXI. ascendere ad Deum, hoc est intrare in seipsum. Qui enim interiùs intrans, & intrinsecùs penetrans seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit. Ab huius ergo mundi distractionibus cor nostrum colligamus, & ad interiora gaudia reuocemus, vt aliquando in diuinæ contemplationis lumine hoc figere valeamus. Nam hæc est vita & requies cordis

cordis noſtri, cùm in Dei amore per deſiderium figitur,& eius conſolatione ſuauiter reficitur. Sed quòd in huius rei experimentali deguſtatione multipliciter impedimur, & nequaquam ad ipſum pertingere ſufficiamus; ratio in promptu eſt, quia mens humana ſollicitudinibus diſtracta, non intrat ſe per memoriam, phantaſmatibus obumbrata; non redit ad ſe per intellectum, concupiſcentiis illecta; ad ſeipſam nequaquam reuertitur per deſiderium ſuauitatis internæ & lætitiæ ſpiritualis; ita totaliter in his ſenſibilibus & præſentibus iacens, non poteſt ad ſe tamquam ad imaginem Dei intrare. Oportet ergo & neceſſe eſt, vt cum humilitatis reuerentia ac fiducia nimia mens eleuet ſe ſupra ſe & omne creatum per abnegationem omnium, & vt dicat intra ſe: Quem ex omnibus,& præ omnibus,& ſuper omnia quæro, diligo, appeto, & deſidero, non eſt ſenſibilis neque imaginabilis, ſed ſuper omne ſenſibile & intelligibile: nullo vmquam ſenſu eſt perceptibilis, ſed pleno deſiderio totus deſiderabilis: non inſuper eſt figurabilis, ſed intimo affectu perfectiſſimè ap-

petibilis: non est æstimabilis, sed mundo corde totus affectibilis; quia super omnia amabilis & delectabilis, infinitæque bonitatis & perfectionis. Et tunc fertur in mentis caliginem, & altiùs intra se eleuatur, & profundiùs ingreditur. Et hic modus ascendendi vsque ad ænigmaticum contuitum sanctissimæ Trinitatis in vnitate, vnitatis in Trinitate, in Iesu Christo, tantò est ardentior, quantò vis ascendens illi est intimior; & tantò fructuosior, quantò affectu proximior. Quippe in spiritualibus illa sunt superiora quæ intimiora, quo ad experientias spirituales. Quapropter numquam desistas, numquã quiescas, donec futuræ illius plenitudinis aliquas (vt ita dicam) arrhas seu experientias degustes, & donec diuinæ suauitatis dulcedinem per quantulascumque primitias obtineas, & in odorem ipsius post eam currere non desinas, donec videas Deum deorum in Sion. In spirituali enim profectu, & cum Dei intra te vnione & adhæsione, non quiescas, nec retrocedas, donec assecutus fueris quod intendis. Exemplum huius accipe in simili ab ascendentibus montem na-

turalem. Si enim ſpiritus noſter, in̄ his quæ deorſum tranſeunt, ſe per cupidinem immerſerit; ſtatim per infinitas diſtractiones & itinera obliqua rapitur, & à ſe quodãmodò diuiſus diſſipatur, & quaſi in tot ſpargitur, quot ea ſunt quæ per deſideria concupiſcit. Hinc motus ſine ſtabilitate, curſus ſine peruentione, labor ſine requie. Si verò cor & ſpiritus noſter ab hac infimorum infinita diſtractione, quæ deorſum eſt, per deſiderium & amorem ſe traxerit, & hæc infima deſerens paulatim ſe intra ſe in vnum immutabile ſufficiens bonum colligens, ſecum eſſe didicerit, & ei inſeparabiliter quodam affectu inhæſerit; tantò ampliùs in vnum colligitur & fortificatur, quantò magis agnitione & deſiderio ſurſum eleuatur, & in̄ ipſo vero ſummo bono intra ſe habituatur, donec tandem omnino immutabilis fiat, & ad illam veram vitam, quæ ipſe Dominus Deus eſt, immutabiliter pertueniat: vt perpetuò, ſine omni mutabilitatis & temporis viciſſitudine, requieſcat iam in illo intrinſeco, & quieto, ac ſecreto diuinitatis manerio, perfectè collocatus intra ſe in Chri-

ſto Ieſu; qui eſt via ad ſe venientibus, veritas, & vita.

CAPVT VIII.

Quomodo in quolibet euentu homo deuotus ſe debeat Deo committere.

CREDO iam & arbitror, quòd ex hucuſque deductis cognoſcas, quòd quantò magis magiſque te nudaueris à phantaſmatibus, & omnibus rebus mundialibus & creatis, ac per bonam voluntatem intellectu Deo vnitus fueris, tantò magis ad ſtatum innocentiæ & perfectionis appropinquas. Quo quid melius? quídve felicius ac iucundius? Super omnia ergo valet, vt teneas mentem nudam ſine phantaſmatibus & imaginibus, & à quibuſcumque implicationibus, vt nec de mundo, nec de amicis, nec de proſperis, nec de aduerſis, præſentibus, præteritis, vel futuris, in te nec in alijs, nec etiam nimis de proprijs peccatis ſolliciteris: ſed cum quadam puritatis ſimplicitate te eſſe cum Deo extra mundum nudè cogita, ac ſi anima tua iam eſſet in æternitate

tate extra corpus ſeparata; vtique non tractaret ſæcularia, nec curaret de ſtatu mundi, nec de pace, nec de guerra, nec de ſereno, nec de pluuia, & planè nec de aliquo huius ſæculi; ſed ſoli Deo conformiter totaliter intenderet, vacaret, & inhæreret. Sic ſuo modo vel nunc relinque corpus tuum, & omnia præſentia & futura creata; & defige aciem mentis ac ſpiritus tui fixè, ſecundùm omne tuum poſſe, nudè & expeditè, in illud increatum lumen. Et ſic ab omnibus phantaſmatibus & inuolutionibus ac obnubilationibus depuratus ſit ſpiritus tuus, tamquam angelus corpori alligatus, qui per operationem carnis non impeditur, nec cogitationibus vanis ac vagis implicatur. Fortificet ergo ſe ſpiritus contra quaſcumque tentationes, vexationes, iniurias, vt æquanimiter inconcuſsè in vtraque fortuna perſeueret in Deo. Et cùm adeſt turbatio, aut acedia, vel mentis confuſio, non propterea inſoleſcas, aut puſillanimis ſis, nec propter hoc curras ad orationes vocales, aut alias conſolationes; ſed hoc ſolùm, vt reſuſcites te per voluntatem bonam in intellectu, vt adhæreas Deo

 mente,

mente, velit nolit ſenſualitas corporis. Deuota namque anima ſic debet eſſe cum Deo vnita, & ſuam voluntatem diuinæ voluntati tam conformem habere & facere, quòd ſe cum nulla creatura occupet, ſeu adhæreat, ſicut dum non erat creata; ac ſi nihil ſit præter ſolum Deum, & ipſam animam. Et ſic vniuerſa & ſingula æquanimiter de manu diuinæ prouidentiæ ſecurè & infallibiliter accipiat, ſuſtinens vniformiter in omnibus Dominum in patientia, tranquillitate, & ſilentio. Qua de re nudare mentem ab omnibus phantaſmatibus ſuper omnia valet ad vitam ſpiritualem, vt ſis per bonam voluntatem vnitus Deo in intellectu & conformis. Prætereà nihil erit medium inter te & Deum: quod ſic patet, quia nec res aliqua ab extra erit medium, cùm per votum voluntariæ paupertatis ablata ſit omnis rei poſſeſſio vſque ad vltimum; & per caſtitatis votum corpus, & per obedientiam voluntas & ipſa anima; & ſic quodammodò nihil relinquitur, quod mediat inter te & Deum. Quòd autẽ Religioſus ſis, probat profeſſio ipſa, ſtatus tuus, & nunc habitus tuus,

tuus, & tonsura, & similia huiusmodi: sed an fictus, an verus Religiosus sis, tu videris. Animaduerte ergo, quàm grauiter de generes & pecces in Dominum Deum tuum, & in omnem eius iustitiam, si secùs egeris, & creaturæ potiùs quàm Creatori ipsi voluntate & amore inhæseris, creaturam præponens Creatori.

CAPVT IX.

Contemplatio in Deo, quatenus omnibus aliis exercitÿs est præponenda.

ET quia omnia citra Deum sunt effectus & opus ipsius Creatoris, habentia posse & esse, & quidquid sunt & possunt, limitatum, & vt ex nihilo producta nihileitatibus circumdata, & ex se ad nihilum tendentia; necessariò momentis singulis suum existere, conseruari, operari, & si quid in eis est, & sic per omnia ab ipso summo opifice Deo recipiunt, tamquam verè ex seipsis sibi & alijs insufficientia, ad cuius operationem sunt, sicut nihil ad aliquid, finitum ad infinitum. Quapropter in solo

eo, & circa eum, & propter eum, & in eum ſit omnis recta noſtra contemplatio, vita, & operatio: qui etiam vno voluntatis nutu poſſet & ſciret in infinitum omnibus modò creatis perfectiora producere. Nulla ergo, ſiue ſecundùm intellectum, ſiue ſecundùm affectum, contemplatio & amoris fruitio vtilior, perfectior, & felicior, quàm in ipſo Deo creatore ſummo & vero bono; à quo, in quo, per quem, & ad quem omnia: ſibi & omnibus ſufficiens eſt in infinitum, qui omnium in ſe continet perfectiones ſimpliciſſimè ab æterno, in quo nihil quod non ſit ipſe: apud quem, & per quem, omnium inſtabilium ſtant cauſæ: in quo omnium mutabilium immutabiles manent origines, necnon omnium rationabilium, irrationabiliumque, atque temporalium in eo ſempiternæ viuunt rationes: qui omnia complet, vniuerſa ſingulaque ſe toto eſſentialiter implet: cuiq; rei intimior eſt & præſentialior per eſſentiam, quàm res ſibiipſi: in quo omnia ſimul ſunt vnita, & in eo ſempiternè viuunt. Præterea ſi ex infirmitate, aut inuſitatione intellectus, quis magis tenetur

netur in creaturis contemplari, tunc hæc optima, vera, & fructuosa contemplatio videtur homini mortali possibilis, vt saltem in cunctis suis contemplationibus & meditationibus, siue circa creaturas, siue circa Creatorem fiunt, consurgat delectatio in ipso Creatore Deo vno & trino intra se, vt inardescat ignis diuini amoris, & veræ vitæ in se, & in aliis, ad meritum felicitatis æternæ vitæ. Animaduertenda est etiam in hoc differentia inter contemplationem Catholicorum fidelium, & Philosophorum gentilium: quia contemplatio Philosophorum est propter perfectionem contemplantis, & ideò sistit in intellectu; & ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus. Sed contemplatio Sanctorum, quæ est Catholicorum, est propter amorem ipsius, scilicet contemplati Dei: idcircò non sistit in fine vltimo in intellectu per cognitionem, sed transit ad affectum per amorem. Vnde Sancti in contemplatione sua habent amorem Dei tamquam principaliter intentum; quia felicius est etiam Dominum Iesum Christũ cognoscere, & habere spiritualiter per gratiam, quàm

ſine gratia corporaliter, vel etiam eſſentialiter. Porrò dum anima ab omnibus abſtrahitur, & in ſeipſam reflectitur, contemplationis oculus dilatatur; & ſe ſcalam erigit, per quam tranſeat ad contemplandum Deum. Ex qua contemplatione anima inardeſcit ad bona cæleſtia & diuina, & ad æterna; & omnia temporalia à longè proſpicit tamquam nihil ſint. Vnde quando in Deum procedimus per viam remotionis; primò negamus ab eo omnia corporalia & ſenſibilia & imaginabilia; ſecundò, etiam intelligibilia; ad vltimum, hoc ipſum eſſe ſecundùm quod in creaturis remanet. Sic quantum ad ſtatum viæ pertinet, optimè Deo coniungimur, ſecundùm Dionyſium. Et hæc eſt caligo, quam Deus inhabitare dicitur, quam Moyſes intrauit, ac per hanc ad lucem inacceſſibilem. Verùm non prius quod ſpirituale, ſed quod animale: ideò conſueto ordine procedendum eſt à labore actionis ad quietem contemplationis, à virtutibus moralibus ad theoricas & ſpeculatiuas. Denique, ô anima mea, quid occuparis circa plurima ſuperuacuè, & ſemper in his eges? Intende &

ama

ama hoc vnum optimum bonum, in quo omne bonum; & sufficit. Infelix ergo, qui omnia scit præter ipsum & habet, ipsum autem nescit. Et si hæc omnia & ipsum sciat, non propter hoc, sed propter ipsum beatior. Vnde Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant* Ioan. 17.
te, &c. & Propheta: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Psal. 16.

CAPVT X.

Actualis deuotio & sensibilis non tantum curanda est, sicut voluntate Deo adhærere.

PRÆTEREA non multùm cures actualem deuotionem, aut sensibilem dulcedinem, vel lacrymas; sed tantùm per bonam voluntatem in intellectu sis mente cum Deo intra te vnitus. Quippe super omnia placet Deo mens nuda à phantasmatibus, id est, imaginibus, speciebus, ac similitudinibus rerum creatarum. Decet namque monachum esse alienum ab omni creatura, vt soli Deo intra se nudè & expeditè intendat, vacet, & adhæreat. Quamobrem

abneges temetipſum, vt nudè ſequaris Chriſtum Dominum Deum tuum, qui verè pauper, obediens, caſtus, humiliatus eſt, & paſſus: in cuius etiam vita & morte multi ſcandalizati fuerunt, vt liquet ex decurſu Euangelij. Præterea, anima ſeparata à corpore non aduertit, quomodo aut quid agatur de ſuo corpore derelicto, ſiue comburatur, ſiue ſuſpendatur, ſiue maledicatur; & nihil propter has iniurias corpori illatas contriſtatur; ſed ſolum cogitat illud NVNC æternitatis, & illud vnum quod dixit Dominus in Euangelio neceſſarium. Sic & tu te habeas ad corpus tuum, quaſi iam non ſis in corpore; & cogita ſemper de æternitate animæ tuæ in Deo, & dirige ſedulò cogitatum tuum in illud vnum de quo Chriſtus
Luc. 10. dixit: *Porrò vnum eſt neceſſarium.* & ſenties ex hoc magnam gratiam, ad mentis nuditatem & cordis ſimplificationem acquirendam. Verumtamen iſtud vnum eſt tibi præſentiſſimum, ſi te nudaueris à phantaſmatibus, & quibuſcumq; alijs implicationibus; moxque ſenties ſic eſſe, videlicet te nuda & expedita mente vacare & adhærere
Deo:

Deo: & ſic eris inuictus etiam in omnibus qualitercumque inferri poſſunt, ſicut & ſancti Martyres, Patres, & electi, beatique omnes: qui, deſpectis omnibus, ſolùm cogitabant animæ ſecuritatem & æternitatem in Deo; & ita armati intus, & per bonam voluntatem Deo vniti, omnia mundi ſpreuerunt, ac ſi omnino anima iam diuiſa eſſet à corpore. Ex his ergo perpende, quantum poteſt bona voluntas cum Deo vnita, imò per illam animæ impreſſionem in Deo, vt per eius à carne virtualem & ſpiritualem diuiſionem, anima quodammodò reſpiciat à longè hominem exteriorem ſuum tamquam non ſuum; & ſic vilipendit omnia quæ inferuntur ſibi vel carni ſuæ, ac ſi fierent alteri, vel non homini. Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. Numquam ergo audeas omnino coram Domino Deo tuo intra te aliquid cogitare, vel imaginari, quod coram hominibus erubeſceres vel audiri, vel videri, propter Dei reuerentiam principalem. Eſt etiam hoc iuſtum, omnem tuum cogitatum & cogitationem ad ſolum Deum erigere; eumque, tamquam nihil aliud

præter ipſum ſit, ſola mentis ácie intueri, ſicque inhærendo frui, quod eſt perfecta inchoatio vitæ futuræ.

CAPVT XI.

Qualiter tentationibus ſit reſiſtendum, & tribulationes qualiter ſuſtinendæ.

PROINDE nemo accedens ad Deum vero & integro corde eſt, quin vexationibus & tentationibus probetur. Idcircò in omnibus tentationibus vel hoc obſeruetur, vt ſi ſentiatur, non conſentiatur, & patienter ac æquanimiter cum humilitate & longanimitate portetur. Si verò blaſphemiæ ſint & turpiſſimæ, hoc omnino firmiter teneas, quòd nihil meliùs aut veriùs contra eaſdem facere potes, quàm omnino huiuſmodi phantaſias pro nihilo reputare: quamquam blaſphemiæ nequiſſimæ & fœdiſſimæ & horribiles ſint, ſolùm non cura eas, ſed pro nihilo reputa & contemne, & tibi non imputa, nec velis tibi ſuper huiuſmodi conſcientiam formare. Fugiet proculdubiò inimicus, ſi eum

ſic

ſic & ſuas factiones contempſeris. Superbus enim eſt valdè, non patitur ſe contemni & ſperni. Omnino ergo talia penitus non curare, ſummum eſt remedium, ſicut de muſcis volantibus coram oculis contra voluntatem. Prouideat ergo ſeruus Ieſu Chriſti, tam facilè non importunè fugere à facie Domini, & hinc inde indignari, murmurare, & querulari ſuper vnius muſcæ vexatione, videlicet leuis tentationis, ſuſpicionis, triſtitiæ, & detractionis, inſufficientiæ, & cuiuſcumque aduerſitatis, cùm ſola manu bonæ voluntatis in Deum erectæ poſſunt omnia hæc fugari. Nempe per bonam voluntatem habet homo Deum in poſſeſſorem, ſanctos Angelos cuſtodes & protectores. Inſuper & per bonam voluntatem omnis tentatio ſuperatur, ſicut muſca manu de caluitie capitis fugatur. Pax ergo hominibus bonæ voluntatis. Proinde ergo nec aliquid ditius offertur Deo bona voluntate. Quippe bona voluntas in anima, eſt origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum: quam qui habere incipit, ſecurè habet quidquid ei ad benè viuendum opus eſt. Si ergo volue-

volueris bonum, & non potes, factum Deus compensat. Igitur secundùm hoc æterna lex incommutabili stabilitate firmauit, vt in voluntate meritum sit; in beatitudine, aut in miseria, præmium, atque supplicium. Dilectio enim est magna voluntas Deo seruiendi, dulcis affectus Deo placendi, feruentissimum desiderium Deo fruendi. Demum tentari non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis, vt homo ad multa bona proficiat tentatione, cùm tota vita hominis super terram tentatio censeatur.

CAPVT XII.

De amore Dei, quàm efficax sit.

ENIMVERO omnia supradicta, & quæcumque saluti necessaria, non meliùs, nec propinquiùs, nec salubriùs perfici possunt, nisi per amorem: per quem suppleri potest omnis necessarij ad salutem indigentia; & in eo habetur omnis boni abundantia, nec deest summi desiderij præsentia. Quippe solus amor est, quo conuertimur ad Deum, transformamur in Deum, adhæremus Deo,

Deo, vnimur Deo, vt ſimus vnus ſpiritus cum eo, & beatificemur hîc in gratia, & ibi in gloria, ab eo, & per eum. Amor enim ipſe non quieſcit, niſi in amato. quod fit, cùm obtinet ipſum poſſeſſione plenaria atque pacifica. Nempe amor ipſe, qui & charitas, eſt via Dei ad homines, & via hominis ad Deum: & manſionem Deus habere non poteſt, vbi charitas non eſt. Si igitur charitatem habemus, Deum habemus, quia Deus charitas eſt. Proinde nihil amore acutius, nihil ſubtilius aut penetrabilius: nec quieſcit, donec naturaliter totam amabilis penetrauerit virtutem & profunditatem ac totalitatem; & vnum ſe vult facere cum amato, &, ſi fieri poteſt, vt hoc idem ipſe ſit quod amatum. Et ita nullum patitur medium inter ſe & obiectum dilectum quod amat, quod eſt Deus, ſed vehementer tendit in eum: & ideò numquam quieſcit, donec omnia tranſeat, & ad ipſum in ipſum veniat. Eſt enim amor ipſe virtutis vnitiuæ & transformatiuæ, transformans amantem in amatum, & econtrà, vt ſit vnum amatorum in altero, & econuersò, in quantum intimiùs poteſt.

poteſt. Quod liquet primò quantum ad vires apprehenſiuas, qualiter amatum ſit in amante; videlicet in quantum dulciter & delectabiliter reuocatur in apprehenſione amantis, & è regione, prout ſcilicet amans nititur ſingula quę ad amatum pertinent, non ſuperficialiter, ſed intrinſecùs diſcernere, & quaſi ad interiora eius ingredi. Sed quantum ad vires appetitiuas & affectiuas, amatum dicitur in amante, prout videlicet eſt in affectuoſa eius complacentia, & in iucunda eius delectatione interiùs radicata: econuersò, amans eſt in amato, toto deſiderio & conformitate ſecundùm idem velle & nolle, & in eodem gaudere & triſtari, tamquam idem ipſe. Trahit enim amor (*quia fortis eſt vt mors dilectio*) amantem extra ſe, & collocat eum in amato, faciens ei intimiſſimè inhærere. Plus enim eſt anima vbi amat, quàm vbi animat; quia ſic eſt in amato ſecundùm propriam naturam, rationem, & voluntatem: ſed in eo quod animat, tantùm eſt ſecundùm quod eſt forma; quod etiam brutis conuenit. Non eſt ergo aliud quod nos ab exterioribus ſenſibilibus intra nos, &

Cant. 8.

exinde

exinde in Iesu Christi intima & diuina trahit, quàm amor Christi, quàm desiderium dulcedinis Christi, ad sentiendum, percipiendum, & degustandum præsentiam diuinitatis Christi. Non itaque aliud est quàm amoris vis, quæ etiam animam de terris ad fastigia cæli celsa perducit. Nec ad summam beatitudinem quis peruenire potest, nisi amore & desiderio prouocante. Ipse etiam amor est vita animæ, vestis nuptialis, & perfectio ipsius, in quo omnis lex & Prophetæ, & Domini edictum pendet. Vnde Apostolus ad Romanos: *Plenitudo legis est dilectio.* Et prima ad Timotheum: *Finis præcepti est charitas.* Rom. 13. 1. Tim. 1.

CAPVT XIII.

Orationis qualitas & vtilitas: & quomodo cor sit recolligendum intra se.

PRÆTEREA, cùm ad hæc & ad quæcumque alia bona omnino simus ex nobis insufficientes, nec aliquid de nobis ipsi Domino Deo (à quo solo omne bonum) exhibere possumus, quod non

sit

ſit priùs ſuum, ſolo vno excepto, quod ſupereſt; quemadmodum ipſe per ſe benedicto ſuo ore etiam & exemplo nos inſtruere dignatus eſt; vt videlicet in omni caſu & euentu ad ipſam orationem recurramus, ſicut rei, miſeri, pauperes, mendici, infirmi, inopes, ſubditi, ſerui, & filij, ac totaliter in nobis ipſis deſolati, humillima mentis proſtratione, in timore & amore, recollectè & compoſitè, maturo, vero, nudoque affectu erubeſcentiæ, cum magnitudine deſiderij & ardore, necnon in gemitu cordis, & ſimplicitate & ſinceritate mentis, ſupplicemus & exponamus ipſi plena cum fiducia vndique nobis imminentia pericula; ita dumtaxat, vt expeditè, ſecurè, & nudè nos ei totaliter vſque ad vltimum fideliter committamus, & offeramus, tamquam verè & per omnia ſui, nihil nobiſipſis reſeruantes, vt impleatur in nobis illud beati patris Iſaac, qui loquitur de hac ipſa oratione, dicens: Tunc erimus vnum in Deo, & Dominus Deus erit in nobis omnia in omnibus & ſolus, quando illa ſua perfecta dilectio, qua prior ille nos dilexit, in noſtri quoque

cordis

cordis tranſierit affectum. Quod ita fiet, cùm nobis omnis amor, omne deſiderium, omne ſtudium, omnis conatus, denique omnis cogitatio noſtra, omneque quod videmus, loquimur, quodque ſperamus, Deus erit; illaque vnitas quæ nunc eſt Patris cum Filio, & Filij cum Patre, in noſtrum fuerit ſenſum mentemque transfuſa: vt quemadmodum ille nos ſincera & pura atque indiſſolubili charitate diligit, nos quoque ei perpetua & inſeparabili dilectione iungamur; ita ſcilicet eidem copulati, vt quidquid ſperamus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur & oramus, Deus ſit. Hæc ergo intentio, hic conatus, & finis ſpiritualis hominis eſſe debet, vt imaginem futuræ beatitudinis in hoc corruptibili corpore poſſidere mereatur, & quodãmodò arrham illius cæleſtis beatitudinis & conuerſationis & gloriæ incipiat in hoc ſæculo prægustare. Hic inquam finis totius perfectionis eſt, vt eò vſque extenuata mens ab omni ſitu carnali, ad ſpiritualia quotidie ſublimetur, donec omnis conuerſatio, omniſque voluntas cordis, vna & iugis efficiatur oratio.

Cumque

Cumque ita mens, deposita fæce terrena, ad Deum, in quo solo semper defixa debet esse intentio spiritualis hominis, respirauerit (cui ab illo summo bono vel parua separatio, mors præsens ac perniciosissimus interitus est credendus) præmissaque fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, & illi vni summoque bono tenacissima adhæserit intentione, Apostolicum il-
1.Thess. 5. lud implebit: *Sine intermissione orate,* & *in omni loco, leuantes puras manus,*
1.Tim. 2. *sine ira & disceptatione.* Hac enim puritate (si dici potest) sensu mentis absorpto, ac de terreno situ ad spiritualem siue angelicam similitudinem transformato, quidquid in se receperit, quidquid tractauerit, quidquid egerit, purissima atque sincerissima oratio erit. Hæc proinde si continuaueris indisruptè, quemadmodum vsque ab initio disseruimus, erit tibi in tua introuersione & recollectione iam facile ac promptum contemplari ac frui, sicut viuere in natura.

CAPVT XIV.

Conſcientiæ atteſtatio in omni iudicio requirenda eſt.

DEMVM ad ſpiritualem mentis perfectionem, puritatem, & tranquillitatem in Deo conſequendam, non mediocriter ad hoc proficere videtur, vt in omni quod de nobis dicitur, ſentitur, & agitur, ſemper tacitè ad interiora mentis arcana recurramus; & inibi ab omnibus alijs abſtracti, & intra nos totaliter recollecti, ſtatuamus nos in cognitionem veritatis ante nos, & vtique inueniemus atque videbimus penitus nihil proficere nobis, ſed plurimùm obeſſe, ſi laudati vel honorati ab extra fuerimus, & ab intra in veritatis cognitione de nobis culpabiles & rei exiſtimus. Et ſicut tunc nihil prodeſt, ſi quempiam ab extra homines laudant, & conſcientia ab intra accuſat: ita è regione nihil obeſt, ſi ab extra quis contemptus, vituperatus, & perſecutus fuerit, ab intra tantùm innocens, irreprehenſibilis, & innoxius exiſtat: imò

quàm

quàm plurimum ſuper hæc cum patientia,& ſilentio,& quiete,non immeritò in Domino gratulari habet: ſiquidem nulla nocebit aduerſitas, vbi non dominatur iniquitas. Et ſicut nullum malum impunitum, ita nullum bonum irremuneratum. Neque cum hypocritis velimus mercedem & præmium exſpectare, vel recipere ab hominibus: ſed ſolùm à Domino Deo, non in præſenti, ſed in futuro; non tranſitorio in tempore,ſed in æternitate. Liquet ergo, quòd nec maius aliquid, nec melius, quàm ſemper in omni tribulatione & euentu ire ad interiora mentis ſecreta, & ibi inuocare ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, adiutorem in tentationibus & tribulationibus;ac inibi humiliari in confeſſione peccati, & laudare ipſum Deum & Patrem,corripientem & conſolantem: inſuper & omnia & ſingula, in ſe vel in alijs, proſpera ſiue aduerſa, æquanimiter accipere, expeditè & ſecurè, de manu ſuæ infallibilis prouidentiæ aut diſpoſitionis ordinatæ. Ex quibus ſequitur etiam peccatorum remiſſio, amaritudinis expreſſio, collatio dulcedinis & ſecuritatis, infuſio gratiæ

& mi-

& misericordiæ, attractio & corroboratio familiaritatis, atqúe abundans in ipso consolatio, firmaque adhæsio & vnio. Sed nec velimus imitari eos, qui per hypocrisim, & more Pharisaico, seipsos cariùs & aliter videri, haberi & apparere ab extra coram hominibus satagunt, quàm ab intra in veritate de se didicerunt: quod quidem extremæ dementiæ est, sic videlicet quærere, appetere aut expetere laudem humanam vel gloriam à se vel ab alijs, cùm nihilominùs interiùs repletus sit illecebris & peccatis grauissimis. Et certè qui post huiusmodi vanissima currit, fugient ab eo prædicta bona, & dedecus incurret. Semper ergo præ oculis tuis habeas mala tua, & inidoneitatem tuam, & cognosce te, vt humilieris; & tamquam peripsema indignissimum, vilissimum, abiectissimumque ab omnibus haberi non refugias, propter grauissima peccata & maxima mala tua. Qua de re reputa te inter alios, vt scoriam inter aurum, zizaniam inter triticum, paleam inter grana, lupum inter oues, satan inter filios Dei. Sed nec velis revereri ab alijs, alijsque præferri: imò

 potiùs

potiùs toto corde & ſpiritu fuge virus huius peſtilentiæ, venenum laudis, reputationem iactantiæ & oſtentationis; ne videlicet, iuxta Prophetam, laudetur *peccator in deſideriis animæ ſuæ.* Et Iſaiæ tertio: *Qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Et Dominus Lucæ ſexto: *Væ cùm benedixerint vobis homines.*

Pſal. 9. Iſaiæ 3. Luc. 6.

CAPVT XV.

Contemptus ſui, qualiter cauſetur in homine, & quàm vtilis ſit.

PROINDE quantò quis vilitatis ſuæ cognitor eſt, tantò plus & limpidiùs diuinæ maieſtatis eſt inſpector: & quantò aliquis propter Deum, veritatem & iuſtitiam, ſibiipſi in oculis ſuis eſt vilior, tantò in oculis Dei eſt pretioſior. Quapropter ſtudeamus toto deſiderij conatu nos viliſſimos reputare, & credere indignos omni beneficio; nobis diſplicere, ſoli Deo placere, ab alijs indigniſſimi & viliſſimi reputari: inſuper ſuper tribulationibus, afflictionibus, & iniurijs non moueri, nec ſuper huiuſ-

modi inferentes conturbari, nec cogitationibus contra eos inuolui, vel indignari; sed æquo animo credere velis, te cunctis iniurijs, vilipensionibus, flagellis, & derelictionibus esse dignum. Nam reverà, qui verè secundùm Deum pœnitet & luget, ille ab omnibus honorari ac diligi abhorret, nec subterfugit nec renuit se quodammodò odiri, conculcari, despici, vsque in finem; vt verè humilietur, & puro corde soli Domino Deo sincerè adhęreat. Verumtamen ad Dominum Deum solùm diligendum, & seipsum super omnia abhorrendum, & ab alijs appetere vilipendi, non requiritur labor extrinsecus, nec corporis valetudo, sed potiùs solitudo corporis, labor cordis, & quies mentis; vt scilicet labore cordis, & affectione mentis intimæ surgat, & corporaliter se ab illis infimis euellat, & sic ad cælestia & diuina surgat & ascendat. Nempe hoc facientes, mutamus nos in Deum: & præcipuè tunc fit, quando ex corde eligimus, sine iudicio, damnatione & contemptu proximi, nos vt peripsema & opprobrium ab omnibus æstimari, imò ab omnibus tamquam

lutum fœdum abhorreri, quàm quibuſcumque deliciis abundare, vel ab hominibus honorari aut eleuari, ſeu qualicumque corporali & tranſitoria ſoſpitate vel commodo perfrui; nec aliam præſentis huius mortalitatis & corporalis vitæ conſolationem deſiderare, quàm noſtras offenſiones, culpas, & peccata ſine intermiſſione lugere, deplangere, & plorare; perfectè nos vilipendere & annihilare, & de die in diem ab alijs magis magiſque viliores haberi, & in omni vilitate indigni in noſtris oculis quotidie fieri, vt ſoli Deo placeamus, eumque ſolum diligamus, ſicque ei adhæreamus: nec circa aliquid velimus affici, niſi ſolùm circa ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, qui ſolus iaceat in noſtro affectu; nec de vllo ſollicitari & curare, niſi de ipſo, in cuius ditione & prouidentia vniuerſa & ſingula currunt & ſubſiſtunt. Non ergo tuum erit amodò deliciari, ſed verè toto corde lugere. Quamobrem, ſi non luges, propter hoc luge: ſi verò luges, propter hoc magis lamentare, quia doloris cauſam tibi ſuperinduxiſti, propter tuas offenſiones maximas & pec-

cata infinita. Sicut ergo non ſollicitudinem gerit ſuper ſpiculatorum diſpoſitionem, qui ſententiam ſuſcipit condemnatus; ſic qui lamentatur, & efficaciter luget, neque delicijs, neque iræ, aut gloriæ, vel indignationi, vel huiuſmodi aliquando attendat. Et ſicut alia ciuium, alia ſunt damnatorum habitacula; ita lugentium, & habentium ad pœnam obligantia delicta, ſtatio & inſtitutio ab innoxijs & non obligatis aliena penitus debet eſſe & remota. Alioquin non eſſet differentia rei obnoxij & innocentis, in compenſatione & ſatisfactionis pœna, quæ tamen magna erat in præuaricationis culpa; & liberior eſſet iniuſtitia, quàm innocentia. Omnia ergo abneganda, omnia contemnenda, omnia excutienda & vitanda, vt plena fide bonum luctui pœnitentiæ iaciatur fundamentum. Igitur in veritate Ieſum Chriſtum diligens, & poſt eum lugens, & eum in corde & in corpore portans, in veritate dolorem de ſuis peccatis & offenſionibus habens, in veritate futurum regnum percipere inquirens, necnon in vera fide memoriam tormentorum & iudicij æterni

possidens, & sui exitus timorem & memoriam firmiter perfectéque reassumens, non vlteriùs conabitur, nec curabit, nec sollicitus erit de aliquo alio. Propter quód qui ad beatam impassibilitatem & ad Deum currere festinat, omni die in qua non maledicitur & contemnitur, se multum damnum arbitretur sustinuisse. Impassibilitas autem est, à vitijs & passionibus libertas; cordis munditia, & virtutum ornatus. Æstima igitur te iam mortuum, quem non ambigis de necessitate moriturum. Et postremum argumentum omnium cogitationum, locutionum, operum tuorum, an secundùm Deum sint, sit tibi indicium hoc, videlicet si his magis humilis, & intra te, & in Deo plus recollectus & confortatus fueris. Si autem aliter in te repereris, suspectum tibi sit, ne non sit secundùm Deum, nec sibi acceptum, nec tibi proficuum.

CA-

CAPVT XVI.

Prouidentia Dei, qualiter ad omnia se extendat.

VERVMTAMEN, vt iuxta præfata, ſine impedimento, expeditè, ſecurè & nudè in Dominum Deum noſtrum liberè & tranquillè feramur, coniungamur & vniamur, eique firmiter adhæreamus, æquanimiter in proſperis & aduerſis, in vita ſiue in morte; opus eſt, vt cuncta & ſingula indiſcuſſæ ſuæ infallibili prouidentiæ indubiè committamus & certiſſimè. Nec mirum, cùm ipſe ſolus ſit qui omnibus dat eſſe, poſſe, & operari, id eſt, ſubſtantiam, virtutem, & operationem, ſpeciem, modum, & ordinem in numero, pondere, & menſura. Præſertim cùm ſicut opus artis præſupponit opus naturæ; ita opus naturæ præſupponit opus Dei creantis, conſeruantis, ordinantis, & adminiſtrantis: eò quòd ipſius ſolius ſit infinita potentia, ſapientia, bonitas, & eſſentialis miſericordia, iuſtitia, & veritas, charitaſque, immutabilis æter-

nitas & immensitas. Nulla ergo res potest propria virtute subsistere, nec agere, nisi agat in virtute ipsius Dei, scilicet primi mouentis, primi principij, qui est causa omnis actionis, & operatur in omni agente. Quippe quantum ad rationem ordinis pertinet, Deus immediatè omnibus prouidet, & vsque ad vltima singularia. Nihil igitur à maximo vsque ad minimum sempiternam Dei prouidentiam effugit, nec declinat etiam, siue in naturalibus, siue in voluntarijs, siue in casualibus, siue in fortuitis nec de se intentis. Sed nec aliquid Deus facere potest, quin sub ordinem suæ prouidentiæ cadat; sicut non potest facere aliquid, quod eius operationi non subdatur. Extendit igitur se prouidentia diuina ad omnia & singula, etiam vsque ad hominum cogitata. Qua de re Scriptura, iuxta illud primæ
1. Pet. 5. Petri 5. *Omnem sollicitudinem vestram proycientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et rursum Propheta: *Iacta cogitatum*
Psal. 54. *tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Et Ecclesiastici secundo: *Respicite*
Eccli. 2. *filij hominum, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est; permansit*

ſit in mandatis eius, & derelictus eſt. Et Dominus ait: *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus?* Quidquid ergo, & quantumcumque magnum à Deo ſperare poſſumus, erimus ſine dubio accepturi, ſecundùm illud Deuteronomij: *Omnem locum quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Quia quantumcumque deſiderare quis potuerit, tantum eſt accepturus: & quatenus fiduciæ pedem porrexerit, eatenus poſſidebit. Vnde Bernardus: *Auctor omnium Deus tanta abundat viſceribus pietatis, vt ad quantamcumque gratiam fiduciæ ſinum extendere poterimus, tantum erimus ſine dubio accepturi.* Vnde Marci 11. *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Porrò quantò hæc fiducia in Deum fortior eſt & inſtantior, & quantò in Deo cum humilitate & reuerentia ſe violentiùs erigit; tantò ſecuriùs, & abundantiùs, & citiùs, quod ſperabat, impetrabit ac obtinebit. At verò, ſi inter hæc propter multitudinem & magnitudinem peccatorum fiducia in Deum ſe erigere tependo retardat; animaduertat qui huiuſmodi eſt, quòd

Matth. 6.

Deut. 11.

Marc. 11.

omnia poſſibilia ſunt apud Deum: & quod vult, neceſſe eſt quòd fiat; & quod non vult, impoſſibile eſt vt fiat: & quòd tam facile eſt ei, tam innumerabilia peccata, quantumcumque enormia, remittere & delere, ſicut vnum peccatum. Et ſicut peccator non poteſt, quantum in ſe eſt, ab innumerabilibus peccatis ſurgere, & ſe ab eis excutere & abſoluere, ſic nec ab vno peccato.
2.Cor. 3. Non enim poſſumus non ſolùm facere, ſed nec cogitare bonum à nobis, quaſi ex nobis, ſed hoc ex Deo eſt. Attamen vtique multò periculoſius eſt, pluribus irretitum eſſe peccatis, ceteris paribus, quàm vno ſolo: quia nullum malum impunitum, & cuique peccato mortali debetur infinita pœna; & hoc de rigore iuſtitiæ, eò quòd quodlibet tale peccatum ſit contra Deum, qui eſt actu infinitæ reuerentiæ, dignitatis, & honorificentiæ. Prætereà, ſecundùm Apoſtolum, ſcit Dominus qui ſunt eius. & impoſſibile eſt aliquem illorum perire, inter quoſcumque anfractus & fluctus errorum, ſcandalorum, ſchiſmatum, perſecutionũ, diſcordiarum, hæreſum, tribulationum, aduerſitatum,

atque tentationum qualiumcumque, eò quòd numerus electorum suorum, & terminus meritorum sit æternaliter & immutabiliter ab eo præuisus; in tantum, vt etiam omnia bona & mala, propria & aliena, prospera & aduersa eis cooperentur in bonum; nisi fortè in hoc quòd gloriosiores & probatiores appareant in aduersis. Securè ergo & expeditè cuncta & singula committamus, plena cum fiducia, diuinæ prouidentiæ, quæ idcircò permittit mala qualiacumque qualitercumque fieri: & bonum est, & benè fit, vt sinat ea fieri: nec fierent nisi permitteret ea fieri: nec aliter nec plus fieri possunt, nisi in quantum permittit; quia scit, potest, & vult ea in melius conuertere & disponere. Sicut enim eius operatione, omnia bona fiunt; sic eius permissione omnia mala, bona fiunt: vt certè ex hoc appareat eius potentia, sapientia, clementia per reparatorem Christum, misericordia & iustitia, virtus gratiæ, & defectus naturæ, pulchritudo vniuersi comparatione oppositorum, laus bonorum, reproborum malitia atque pœna. Similiter in peccatore conuerso con-

tritio, confessio, & pœnitentia, mansuetudo Dei, pietas, & charitas, lausque eius, & bonitas. Non tamen eis semper cedit in bonum, qui malè agunt: sed vt communiter in periculum magnum, & maximum malum, priuationis scilicet gratiæ & gloriæ, & incursionis culpæ & pœnæ; nonnumquam etiam æternæ, à qua nos custodiat IESVS CHRISTVS. Amen.



VITA
B. ALBERTI
DOCTORIS MAGNI
ex Ordine Prædicatorum
EPISCOPI RATISPONENSIS,
COMPILATORE
R.P.F.PETRO DE PRVSSIA
eiusdem Ordinis Theologo.

PROLOGVS.



LORIOSVS *Deus in Sanctis suis: cuius magnitudinis numerus non est, cùm infinitus sit atque incomprehensibilis; vt meritò non solùm opprimi à gloria eius dicantur scrutatores maiestatis temerarij, verùm & excellentium virorum, licet humiles ac sancti perspicacisq́ue ingenij fuerint, reuerberentur obtutus: ne dicam ipsum intueri, sed & illius verborum celsitudinem, quæ tamquam radij ex luminis fonte prodeunt, capere non præualent; adeò quòd summa cum admiratione clamare habeant Propheticum illud:* Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam. *ipse tamen, cuius natura bonitas, qui vult saluos* Psal. 138.

fieri

fieri omnes, & ad sui agnitionem venire, non destitit mysteria nobis multa de se salubriter reuelare; cognitum vt coleremus, colendo amaremus, amando beati essemus. Et quia inuisibilis est, inhabitans lucem inaccessibilem, infirmitati nostræ vt pius pater consulens, copiosa gratia sua, viros magnos in Ecclesia vt montes eleuatos per virtutum cacumina, ac illuminatos mirabiliter scientia statuit, per quos ad excelsum illum gigantem ipsorum vestigiis inhærendo adscendere, doctrinis etiam illuminati, vt per lucidissimas nubes Solem iustitiæ vtcumque intueri possemus. Reuerà enim Deo proximior existit omnis qui montium horum arduis bonæ actionis pedem infixerit: & iterùm, cui tenebræ ignorantiæ lumen intelligentiæ excluserant, his luminosis illuminatus montibus, illicò Deo in
Psal.75. *gratiarum actione*; Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis;
læta-

lætabundus exclamat. E quibus sanè montibus venerabilis ille Pater Frater Albertus Prædicatorum Ordinis, Ratisponensis quondam Ecclesiæ Episcopus, non minimæ sanctitatis culmine excreuit: qui ab ipso puerili æuo, vt ipse testatur, ad decrepitam vsque ætatem iugum Domini mira cum hilaritate in eodem Ordine portauit; ex primis Patribus existens præcipuus, primitias Spiritus habens, quemadmodum de ipso testantur, qui illum in carne adhuc manentem viderunt, conuersationisq; ipsius insignia sunt experti. quare & posteris ea quæ nouerant per scripta intimare non dubitarunt, glorioséque eumdem extollere laudibus voluerunt, quem ceteris constantiorem nullo posse adulationis vento inflecti certa scientia probabant, sicut prosequuntur eius contemporanei in verbis, quæ infrà scripto commendare dignum duximus.

Quan-

Quanta veræ sapientiæ copia ac doctrinæ radiis Ecclesiam illustrat, non tam hominis stylo, aut disertissimæ eloquentiæ coloribus effari, quàm suis codicibus valet cognosci. Vnde quia magnus vitâ & doctrinâ extitit, non incongruè illud in libro Iob exaratum ipsi adscribere possumus,
Iob 1. *dicentes:* Erat vir ille magnus inter omnes Orientales. *In quibus verbis venerabilis, imò, vt credimus sine hæsitatione, beati Alberti laus cunctis aptissimè insinuatur mortalibus. Cùm enim Orientales, sacro testante eloquio, hi dicendi sunt, in quibus lumen gratiæ Dei principaliter fulget; sacrorum verborũ expositorem hunc singularem Albertum, & penè primum inter modernos, qui antiquis sanctissimisq; Doctoribus doctrinando ac sanctè conuersando simillimus est, aptè Orientalem nominamus: maximè cùm Matris gratiæ Mariæ sit scriba eximius, atque familiarissimus*

mus confabulator; quæ nobis virum, cui nomen Oriens est, edidit ad salutem. Tantò enim gratia plenior credendus est, quantò familiarior per deuotionem, huic quæ plena est gratia, fuisse cognoscitur; præsertim cùm suo tempore vberior gratia Fratribus cunctis de Prædicatorum Ordine à misericordiæ Patre largiebatur. Inter quos erat vir ille magnus, vir vtique virens & germinans, quasi lignum viride iuxta decursus aquarum plantatum, perfectione animi viriliter contra biformes fortunæ insultus vniformi constantia mentis militans, nec aduersitate pusillanimis, nec prosperitate elatus, in tantum fortitudine dotatus contra tela inimici & tentationum, atque ad Ordinis onera portanda, vt giganteos diceretur habere humeros in omnibus his, iuxta veridicum testimonium venerabilis Patris Fratris Humberti Magistri Ordinis. Cruce etiam armatus,

tus, malignis terribilis, vt vnico obiectu salutiferi signaculi hostem in specie Fratris apparentem prosterneret, qui studio eius aduersabatur fructifero. Insuper hæreticorum massæ, Apostolica doctrina munitus, erat malleus inflexibilis. Demonstrabilis proinde ille in omni claritate, quod ipso demonstratiuo optimè designatur, quia in consilio impiorum non abijt, nec in peccatorum stetit via: qui & pestilentiæ cathedram non ascendit, sed montem excelsæ atque perfectæ iustitiæ in omni virtute aggressus est; vnde serpentum sibilos virulentos, vt visione monstratum est mirifica, conatusq́; reprobos suo spiritu eliminauit de sanctuario Ecclesiæ. Quare rectißimè nomen magnitudinis meruit. Is namque verè magnus est, qui vniuersaliter inclytus habetur; quem nullus veris diuitiis, nullus morum honestate, nullus solemnitate famæ, nullus spectabilitate

tate

tate ob eloquentiæ doctrinæq; splendorem præcedit; vt magnificari super vniuersos posit, dum omnibus superior inuenitur. Erat sanè talis iste Beatus, non pro parte aliqua temporis tantùm in præterito, sed ita progrediens atque succrescens per continuum præsens vsque in illud futurum, quo NVNC *æternitatis cum Deo viuendo est ingressus; tantò illic iam Omnipotenti vicinior, quantò hic olim carnem vegetans semper erat virtutum donis præsentior; tantò iam sublimior, quantò in mortali vita humilitate abiectus sibi videbatur vilior. Huius igitur sancti viri famam celeberrimam cùm in orbe toto omnes proclamant, delectatq; vniuersos loqui vel audire de ipsius magnitudine, ob doctrinæ singularitatem, atque bonorum operum qualitatem; in tantum vt simplicissimi in omni mundi angulo gestiunt sine discretionis iudicio narrare de ipso,*

falsa

falſa pro veris aſſumentes; nec abſque laude pronuntiant Alberti, quidquid fingere de illo poſſunt. Alij autem plurimùm præ deſiderio noſſe cupiunt conditionem eius, non ſolummodò qualis per ſcientiæ habitum vſúmque fuerit, ſed & de religione, ſanctitate, ſtatu, quáve ætate temporis hoc in mundo conuerſatus eſt, atque morte qua hinc tranſiit, & miraculis, requirunt; pro indubitato habentes, ſanctiſsimæ hunc fuiſſe conuerſationis, cui ſingularem ſpiritum affuiſſe, ex ſcriptis ſuis Theologicis ſciunt: ſcientes quòd ſicut Hierotheus paſſus diuina, diuina didicit; ita pari modo Albertum docere tam copioſè non ob aliud poſſe diuina (præſertim cùm illius eloquium incendium parit plurimum diuinæ dilectionis in noſtris cordibus) niſi & ipſe vehementer amore illo, qui otioſum in bono permanere ſinit neminem, fuiſſet affectus: ex abundantia

Matth.12. Luc.6.

dantia enim cordis os loquitur, *& bonus homo de bono corde profert bona.*

Vnde illorum desiderio satisfacere cupiens iuxta mei ingenioli qualitatem, compilare in vnum venerabilis istius viri Legendam placuit. Sed ne quispiam de veritate dubitare horum quæ scribo possit, nosse debet quilibet Lector, quia non leuitate aut suspicione hæc confecta, sed à fide dignis dudum antè notata in codicibus sunt, illo in tempore quo testibus probari poterant; imò pro maiori parte adhuc illo viuente scripto fuerunt commendata. Qui autem Scriptores omnium horum sunt, & qui libri vnde sumpta, breuiter subiungendum est. In primis namque Frater Thomas Brabantinus, Ordinis Prædicatorum, ad multos annos Alberti discipulus dum viueret vterque in hac vita; qui Thomas librum de Naturis rerum conscripsit, & alium librum de Apibus

inti-

intitulatum, quem Bonum vniuersale nominat, composuit, quem Magistro Humberto Generali Ordinis Prædicatorum misit, à quo & confirmatus est, auctoritatemq́ sumpsit: in hoc siquidem Libro ait de Prælatis & subditis, aliisq́ multis, puta de Alberto, Iordane, atque Ioanne, sanctißimis viris Prædicatorum Ordinis, ac ceteris Sanctis qui sua ætate floruerunt. Hic Liber notus est multis, præcipuè in Alemanniæ partibus. Secundus autem est Frater Vlricus Engelberti de Argentina, eiusdem Ordinis, æquè Alberti discipulus sicut & primus: qui ambo ad pedes tanti Magistri didicerunt sapientiam, vt ipsimet testantur. Tertius verò est Frater Bernardus in castris sancti Vincentij, ibidem Prior Fratrum, contemporaneus Alberti, vt ipse dicit qui Chronicam Ordinis scripsit ab initio Ordinis vsque ad sua tempora fideliter. Quartus est

eſt compilator Legendæ beati Thomæ de Aquino, ex qua nonnulla hîc poſita ſunt: Cetera autem ex Vitis Fratrum Ordinis Prædicatorum, cui Libello Magiſter Ordinis Humbertus auctoritatem tribuit, ſunt ſcripta: & quædam ex Legenda ſanctæ Cordulæ virginis & martyris, quam venerabilis Albertus tranſtulit de pomerio in eccleſiam ſancti Ioannis: aliqua etiam ex reuelationibus alterius virginis Sanctimonialis. Inſuper & teſtimonia adducta multa ex propriis ſcriptis eiuſdem Doctoris. Omnia verò alia in Legenda ipſius Alberti continentur, quæ apud nos Coloniæ & multos Conuentus Ordinis noſtri inuenitur. Sunt tamen quædam etiam ex Actis Capitulorum Prouincialium Teutoniæ prouinciæ, eodem exiſtente Prouinciali, tranſſumpta. Et hæc omnia ſi de ipſo ſcripta non fuiſſent, doctrinæ tamen ipſius de ſanctitate magnum nobis &

certum reddunt teſtimonium. Magis enim nobis de beati Bernardi ſanctitate & mirabili deuotione perſuadent eius dicta, quàm mille miracula, dum quamdam vultus interioris pulcherrimam ſimilitudinem efficaciùs quàm ſigna legenti repræſentant. Et cui non probant beatiſsimi Auguſtini ignita eloquia, hunc geſtaſſe cor iaculo diuinæ charitatis transfixum? Sic proculdubiò ſi Alberti quis legerit dicta, ſentiet quanta ſpiritus eius geſſerit, & quòd nuptiali veſte ſemper fuerit circumdatus non dubitabit. Et quamuis plura alia laudabilia de hoc venerabili referre poſſemus Doctore, non tamen neceſſarium ea ponere fuit; ne fortaſsis veritatis amatorem & defenſorem opinionibus incertis videremur laudaſſe: hæc autem ſcribendo notare volui ad honorem Domini noſtri Ieſu & glorioſiſsimæ Virginis Mariæ immaculatæ eius Genitricis,

atque

atque excellentiſsimi Doctoris laudem, qui ſua interceſsione apud vniuerſorum Dominum & Iudicem, in illa hora qua ante tribunal ſtabimus iudicantis, excuſatos nos habeat ab omni quam noſtris exceſsibus contraximus culpa; ne fratrum accuſator, noſter inſatiabilis inimicus, præualeat, magis autem confuſus atque damnatus abſcedat. Sic inſuper agatur, vt corona iuſtitiæ vnà cum electis in æternum victuris nobis donetur. Amen.

Quòd ſi cui viſum fuerit vt aliqua addat his quæ iam dicta ſunt, non hoc faciat inconſultè aut ex abrupto, niſi ſciat de veritate, & conſtet vbi contineatur, vel à quo ſcriptum habeatur. hoc enim maximè in hac Legenda tenui, ne aliquid ponerem ex vaga relatione vel ſuſpicione: quod & quilibet perpendere poteſt: vnde & notare volui, quo anno ab Incarnatione ipſe Ordinem

est ingressus, à quo tempore obijt, vel ea quæ notata sunt quando perfecerit, seu quando gesta sint quæ de ipso narrantur; ne alicui suspicio de his quæ scribo sinistra generetur: non enim Sancti nostris delectantur mendaciis, qui iam veritatis lumen sunt adepti.



VITA B. ALBERTI DOCTORIS MAGNI ex Ordine Prædicatorum EPISCOPI RATISPONENSIS.

CAPVT I.

De pueritia eius, & qualiter à beata Virgine in visione admonitus sit vt Ordinem intraret Fratrum Prædicatorum.



DMINISTRANTE per orbem Rempublicam Friderico huius nominis Secundo, floruit in sacro Prædicatorum Ordine gloriosus Pater Frater Albertus Magnus, Doctor egregius almæ Vniuersitatis Parisiensis, decus & splendor Ecclesiæ vniuer-

ſalis, in qua vt miles ſtrenuus fidei clypeo protectus, verbi Dei inſuper gladio accinctus, hæreticorum conuentus zelo Dei ſuccenſus potenter deiecit. Hic de militari cùm eſſet progenie, natione Alamannus, ex Laugingenſi oppido, Prouinciæ Sueuiæ, Auguſtenſis diœceſis, à pijs parentibus viam Domini à pueritia eſt edoctus, traditus ab eiſdem litteris imbuendus. Cùm autem ſedecim ferè eſſet annorum, & die quadam eccleſiam ingreſſus, innocens puer ſpiritum ſuum ad orandum virginem glorioſam Mariam, cuius à puerili æuo vſque in finem ſuæ vitæ amator extitit feruenter & laudator præcipuus, collegiſſet, ſtatum ſuum toto mentis affectu humiliter recommendat, flagitans ipſius patrocinium. Et ecce illa cæli Regina, Domina mundi, quæ ſui memorum immemor nequaquam exiſtit, apparens Alberto, placido vultu dixit: Alberte, mundum fuge, Prædicatorum ingredere Ordinem, quem pro mundi ſalute nouiſſimis dirigendum temporibus à Filio meo expetij. deuotioni à ſtudio efficaciter intende; nam Deus tanta ſapientiæ ſuæ copia te dotabit,

vt

vt tota Ecclesia per doctrinæ tuæ libros illustretur.

CAPVT II.

Quòd Ordinem intrauit in iuuentute, ex propriis verbis ipsius habetur: & de modo quo ingressus est, & qualiter à beato Iordane vestitus Paduæ.

TALI itaque Virginis gloriosæ animatus sponsione, puerilia rudimenta in Grammaticalibus adeptus est studio insistendo, suæ interuentrici non ingratus, assiduum illi obsequium quàm deuotè impendebat. Sed prudenter animaduertens secum has fallacias, nec tutum fore cohabitare serpenti, diuinis monitis acquiescens, Prædicatorum Ordinis habitum, ne talentum sibi creditum cum seruo pigro in terram abscondere videretur, multa cum deuotione suscepit. De qua susceptione ita in Libro qui Vitas-Fratrum Ordinis Prædicatorum inscribitur, parte quarta cap. x. narratur: *Dominus Albertus*

famæ eximiæ & excellentis status & scientiæ, magnus in Philosophia, cùm adhuc iuuenculus Paduæ studeret, ex admonitionibus Fratrum, & maximè ex prædicationibus Magistri Iordanis, habebat voluntatem intrandi Ordinem Prædicatorum, sed non plenam; auunculus enim eius contradicebat illi: vnde & iurare ipsum compulit, ne infra tantum tempus iret ad domum Fratrum Prædicatorum. Post quod transactum veniebat frequenter ad Fratres eosdem, firmabatque propositum: sed timor ne exiret, faciebat eum vacillare multoties. Quadam autem nocte vidit in somnis quòd intrasset Ordinem, postmodumque exisset. euigilans ergo, mirabiliter gauisus est, eò quòd non intrauerat; in animo suo dicens: Nunc video quia id quod timebam inde eueniret si vmquam intrarem. Contigit autem eodem die eum interesse sermoni Magistri Iordanis, qui inter cetera loquens de tentationibus diaboli, dixit quàm subtiliter decipiat aliquos. Sunt enim, ait, aliqui, qui relinquere mundum proponunt, & Ordinem intrare; sed diabolus eis impressiones facit in somnis quòd intrant & posteà exeunt, equitantes in rubeis vestibus, vel se solos derelictos inueniant;

ueniant; vt ſic ſcilicet eis incutiat timorem intrandi, quaſi perſeuerare non poſſent. Tunc iuuenis miratus vehementer, poſt ſermonem Magiſtrum acceſsit, & ait: Magiſter, quis reuelauit cor meum vobis? expoſuitque Albertus omnes ſuas cogitationes & ſomnium Magiſtro Iordani; qui firma de Deo percepta fiducia, multis monitis confortauit eumdem contra tentationem iam dictam. Ad verba ergo eius Albertus ex toto conuerſus, & omnem moram reſcindens, Ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus. hæc ibidem.

Quòd verò Paduæ ſtuduerit, ipſe Albertus propriis verbis ſuis implicitè inſinuat in ſuo Libro de Natura locorum, diſtinctione tertia cap. ſecundo; vbi trinitates terrarum enumerat, de ipſa tamquam ſibi nota ait ſic: *Patauium, quæ nunc Padua vocatur, ciuitas eſt in qua floruit ſtudium ante paruum tempus.* Sic pariformiter & apertiùs in tertio libro Meteororum, capitulo duodecimo ſecundi Tractatus, patet ipſum ibidem habitaſſe in ſtudio, quia ſic ait: *Ego autem vidi in Paduana ciuitate Lombardiæ, quòd puteus ab aliquo tempore clauſus inuentus fuit, qui cum aperire-*

tur, & quidam intraret ad purgandum puteum, mortuus fuit ex vapore cauernæ illius; & similiter mortuus est secundus. & tertius voluit scire quare duo moras agerent, inclinans in puteum, adeò debilitatus est, quòd spatio duorum dierum vix rediit ad seipsum: cùm autem expirasset vapor putrefactus in puteo, factus est bonus & potabilis. Hæc ille loco iam allegato. Si enim non ibi tunc temporis habitasset, non vtique dixisset se hæc vidisse, quæ successiuè non vno die contigerunt.

Nec vtique in dubium venire alicui potest, quin iugum Domini suaue in iuuentute assumpserit per Religionis ingressum, cùm hoc idem Albertus suo testimonio clarisque verbis exprimit in Orationibus Dominicalibus, de quibus infrà dicetur. Nam in Oratione circa Euangelium Septuagesimæ, videlicet,
Matth. 20. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias*; ita orationem fundens ad Dominum, ait: *Domine Iesu Christe, summe paterfamilias, qui me primo manè in vineam tuam vocasti, dum me à iuuentute mea ad laborandum in Religione pro denario vitæ æternæ conduxisti: cùm serò fa-*

ctum

ctum fuerit in Iudicio, & reddes operariis mercedem, quid dabis mihi, qui non solùm in foro sæculi, sed in ipsa vinea Religionis tota die vita mea otiosus steti. Domine, qui non ponderas opera nostra ad pondus publicum, sed ad pondus Sanctuarij, fac me saltem in vndecima hora resipiscere; ne quia tu bonus es, oculus meus omnino nequam inueniatur. hæc Albertus.

Qualiter autem venerabilis Albertus Coloniensi Conuentui sit assignatus, licet Paduæ indutus, facilè perpendi potest. Prædicatorum enim Ordo nouiter tunc institutus, multiplicandis Conuentibus & personis congruis insistebat; & ideò Fratres Nouitij, vbicumque vestiti fuissent, nouis Conuentibus ob defectum personarum assignabantur, maximè si de lingua terræ illius in qua recipiebantur non fuissent. sicut Frater Henricus de Colonia, ibidem primus Prior; similiter & Frater Leo, eidem in Prioratu successor; licet Parisiis cum beato Iordane ambo habitum receperint anno Domini M. CC. in die Cinerum: Coloniam tamen mittuntur, quia Teuto-

nici erant, vt nouum Conuentum ædificent. Sic pari modo Albertum à Padua missum Coloniam non dubitamus: quod verbis sequentibus ex Vitis Fratrum euidenter ostenditur. Illo enim in tempore, sanctissimo Patre Dominico cælis inuecto, beatus Iordanis Teutonicus, verus Israëlita, in Magistrum Parisiis est electus, anno Domini M.CC.XXII. qui quantus qualisque fuerit, in Vitis Fratrum Ordinis clarè describitur: vbi inter alias eius virtutes habetur, quòd plures quàm mille ad Ordinem traxerit Fratres: dilatauit enim iste gloriam gentis suæ. De quo consequenter ibidem ita habetur: *Frequentabat hic Pater beatus ciuitates ac villas, vnde Quadragesimam vno anno Parisiis, alio Bononiæ faciebat. Tunicas verò fieri faciebat, fiduciam habens in Deo quòd Fratres ei idoneos pro dilatatione mitteret. Multoties autem tot & ex insperato intrabant, quòd vix poterant pro induendis vestes inueniri: quos conuenienter instructos diuersis domibus deputabat: de quorum numero plures fuere posteà Regentes in Theologia.* Receptus igitur tunc temporis Albertus à iam memorato

to Magiſtro Iordane, Prædicatoris collegio eſt hinc ſociatus in Agrippina Colonia, vbi paulò antè Prædicatorum Ordinis Fratres eccleſiam ſanctæ Crucis cum Hoſpitali & cappella ſanctæ Mariæ Magdalenæ ad inhabitandum à reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo Domino Engelberto Primo gratioſè ſuſceperant, anno videlicet Domini M. CC. XXI. poſt ſecundum Capitulum Bononiæ per beatum Dominicum celebratum.

CAPVT III.

Quòd oratione magis adeptus ſit ſcientiam quàm ſtudio & labore, & quòd præcipuus fuerit inter deuotiores Fratres.

ALBERTVS igitur, vt infrà clariùs patebit, per viſum ad ſtudium & Religionis amorem à glorioſa Virgine Maria animatus, feruentiſſimè ſtudens, puritati mentis litteriſque non ſegniter operam dabat. Erat enim modus ipſius primò oratione & deuotione mentem

ad alta diuinorum ſuſtollere, vt ſcientiam illam quæ mirabilis eſt & confortata, ad quam non poterat humanus intellectus pertingere naturaliter, gratia cooperante deuotionis poſſet inuenire efficaciter. Teſtabatur autem nonnumquam diſcipulis, ea ſæpiùs oratione impetraſſe, quæ aliàs labore & ſtudio capere non valuit. Quare & in principio Summæ ſuæ, de mirabili ſcientia Dei ita dicit: *Oratione & deuotione plus acquiritur in diuinis ſcientiis quàm ſtudio.* illud Sapientiæ dictum
Sap. 7. pro confirmatione inducens: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus; & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* quaſi diceret: Optaui deuotione, inuocaui autem aſſidua oratione: *diuina namque ſapientia imprimitur nobis, nobis aſcendentibus ad Deum & ad ipſam ſapientiam, ſicut cera aſcendit ad ſigillum, & non econuerſò.* hæc ille.

Tantus, vt ait Magiſter Humbertus, tunc feruor Fratrum in Ordine fuit, quòd nullus enarrare ſufficiat: ſiquidem ſpiritus vitæ erat in rotis, cuius virtute animalia ibant & reuertebantur, & eleuabantur ſecundùm voluntatem

tem ſpiritus dirigentis. Sed inter hos iſte Albertus mirabiliter fulſit: vnde tres viri præclari vita & ſcientia, qui ipſum nouerant, fidele teſtimonium dant ſuis in ſcriptis. Humbertus inquit de ipſo in Epiſtola, quòd maximè diuinam Scripturam & puritatem conſcientiæ amauerit, haberetque giganteos humeros ad quæuis onera Ordinis ſuſtinenda; & his ſimilia de ipſo proſequens. Thomas autem Brabantinus in libro Apum ait de eodem Alberto, quòd non mirabile cuiquam videri debeat quòd ſupra hominem in ſcientia profecit, qui tam perfectus in virtutibus fuit. Vlricus autem in Summa de Alberto ait: *Adeò diuinus fuit Albertus, vt congruè noſtro tempore ſtupor & miraculum dici poſſit.* Ecce teſtimonia credibilia nimis ab ipſis prolata, qui vitam viri familiariter nouerant: Humbertus enim Magiſter Ordinis tamquam Superior; alij verò duo Fratres, vti diſcipuli.

CA-

CAPVT IV.

Quòd adhuc iuuenis existens habuit notitiam naturalium rerum; & quòd vulgari vocabulo Philosophus vocabatur.

In breui igitur Albertus, supra cunctos suos coætaneos, tam mirabiliter in studio, Dei cooperante gratia profecit, vt ab Ecclesiasticis personis vulgari vocabulo tunc Philosophus nominaretur. Ab ipsa enim iuuentute sua, omnium scientiarum sæcularium apicem perfectè est adeptus, vt de occultis in natura, quæ à magnis etiam nesciuntur in Philosophia, ipsi datum sit veritatis scientiam vlla absque deliberatione proferre in medium, quemadmodum suis verbis in Tractatu de Lapidibus habetur, vbi ita dicit: *Volo primò narrare quæ vidi & expertus sum ego ipse, & posteà ostendere causam & modum per quem à natura efficitur imago. Dico igitur, quòd me existente Venetiis cùm essem iuuenis, incidebantur marmora*

mora per ſerras ad parietes templi ornandos. Contigit autem in vno marmore iam inciſo, tabulis inciſis ſibi applicatis, apparere pictum caput pulcherrimum Regis cum corona & longa barba: neque in aliquo peccare videbatur pictura, niſi in hoc ſolo, quòd frontem videbatur habere in medio nimis altam & aſcendentem verſus verticem capitis. Sciuimus autem omnes qui aderamus, hoc à natura fuiſſe pictum in lapide. Cùm à me quæreretur cauſa inordinationis frontis, dixi, lapidem illum ex vapore fuiſſe coagulatum, & in medio per calorem fortiorem & vaporem inordinatè aſcendiſſe vltra modum. Fuit autem pictura eiuſdem coloris cum lapide. hæc Albertus. Vnde probatur, ipſum iam in iuuenili ætate naturalium ſciuiſſe rationes. Quare autem imagines variè ita à natura depictæ inueniuntur in lapidibus pretioſis, ipſe idem Albertus in iam dicto libro de Lapidibus pleniùs proſequitur: de quibus in præſenti non intendimus dicere.

CAPVT V.

Quòd Lector ordinatur in multis locis, in quo officio præ alijs excellentior extitit, non tamen propter ſcientiam elatior.

AD probitatis ergo honeſtatem & ſcientiæ claritatem, quibus ceteris ordinatior extitit Fratribus, per maiores ſuos, paucis ab ingreſſu Ordinis tranſactis annis, Lector Fratrum ordinatur: in quo gradu tamquam lucerna ſupra candelabrum poſitus, omnibus prodeſſe ſtuduit, ac ſi natus omnibus fuiſſet, in Colonia bis legens glorioſè Sententias. In Hildenſemenſi autem Conuentu, nunc Saxoniæ tunc verò Teutoniæ Prouinciæ, deinde factus Lector, quia ibidem Conuentus tunc temporis ædificabatur, videlicet anno M. CC. XXXIII. deinde fit Lector in Friburgo: poſt hoc duobus annis in Ratiſpona: demum verò in Argentina. At cùm vltimò Lector Coloniæ ante Magiſterium ſuum Albertus exiſteret, ſancto Thoma poſt biennium ſoluto de car-

carcere, missus est idem sanctus Thomas Parisios. Sed non diu pòst distulit, vt ait Auctor libri Apum, satan insidias spargere adolescenti: instinctu enim fratrum suorum carnalium & amicorum quos habebat in curia, per litteras Apostolicas iterùm mandatus est. Venienti igitur mox à Papa præcipitur vt regimen Abbatiæ montis Cassini susciperet, & in Ordine suo & habitu præesset officio. Noluit ille; & clàm prolapsus à curia fugit, & in Coloniam Agrippinam venit, studuitque in loco illo, quousque præclarus Lector Fratrum ibidem Frater Albertus Parisios est translatus, & pro incomparabili scientia Theologiæ cathedram sortitus est. hæc in libro Apum.

Verè Lector præ ceteris clarus fuit iste Beatus, singulariter planè edoctus à scriba velociter scribente, cui proprium est non tantùm bonitatem & disciplinam, sed & scientiam his parare, qui humiles esse didicerunt, non inflati sensu carnis suæ: nam humilitas omnium virtutum custos & fundamentum, in mentis eius domicilio firmissimam sibi sedem collocauerat; vt quàm magnus

magnus in ſcientia & ſingularis fuerit, tamen ſuperbia, quæ comes ſæpenumerò ſcientiæ ſolet fieri, dominari illi nequaquam poterat. Vnde non tantùm cùm in minori gradu legeret, verùm etiam iam Doctoratus honore ſublimatus, vel Pontificali auctoritate cunctis præſtantior, ſanctitate inſuper vitæ dum polleret, labe criminis quæ animam inuoluit tenebris carens, necnon glorioſæ Virginis Mariæ æternæ Sapientiæ matris laudator inſatiabilis ac confabulator mirabilis effectus, non maioris præſumptionis nec elatior effectus eſt; imò quantò magis addebat intellectui ſcientiam, tantò in veræ humilitatis virtute incrementum ſumebat & gratiam. Et ideò, ſicut Gregorius Dictatum ſuum furfur nominat, ſic iſte ea quæ ſcribit minùs digna ad legendum à magnis, quamquam magna ſint, reputat: quemadmodum in Prologo ſui libri de Laudibus Virginis glorioſæ inſinuat; vbi poſt multa verba ſuam oſtendentia humilitatem, ita concludit, vtique humiliter ſatis: *Non intendimus*, inquit, *glorioſam Virginem noſtris mendaciis adornare, vel cum ſtylo altiloquo captio-*

captioribus intelligentiis aliquid noui aut magni cudere, & non gloriosam Virginem laudare, & nosmetipsos ostentare; sed rudibus & simplicibus mei similibus deuotionis munus per verba simplicia ministrare. Mecum enim benè agitur, quamuis nihil dignum reputatione, de benedictissima Domina, tamquam indignus vita & minimus scientia, si nihil mei pectoris ore prompsero, si tantùm occasionem de ipsa scribendi & loquendi sapientibus subministro. hæc ille. Qui similiter in omnibus suis scriptis hunc humilitatis modum seruat, vt cùm alta mirabiliter validissimis rationibus sacræ Scripturæ ac Sanctorum auctoritatibus muniens scriptitat, nulli tamen vmquam Doctori præiudicium in suis opinionibus voluit generare: vnde quàm sæpè proprias opiniones ponens, præmittit sic inquiens: *Sine præiudicio loquor, Salua pace videtur sic dicendum, Ita cum aliis Magistris sentio, Hæc opinio videtur mihi probabilior,* & his similia. in quo modo scribendi nullus Doctorum ipsi similis reperitur: arbitrabatur nimirum, magnæ esse præsumptionis, suam velle præferre sententiam in talibus quæ sine peri-

periculo neſciuntur, aut ſacræ Scripturæ certiſſimis teſtimoniis probari nequeunt, vel quæ Sanctorum dictis obuiare noſcuntur; quia in iis magis tutum eſt opinari quàm loqui categoricè, quia diffinitiua regula de multis in Sacro eloquio haberi non poteſt: vir enim hic beatus ſanctorum Doctorum collegio ſe ſocians, ſumma cum reuerentia Sacra eloquia tractare ſtuduit; ſciens quòd perſcrutator maieſtatis opprimeretur à gloria: vnde maluit inſcius in quibuſdam reputari, quàm temerarius diffinitor in periculoſis & arduis non neceſſariis quæſtionibus haberi, ſicut ex diuerſis locis dictorum ſuorum lucidiùs inuenitur. Sanè mos iſte ſobrietatis apud ſanctos ac veteres Doctores fuit, vt timorem reuerentialem ad diuina eloquia ſeruantes, nihil temerè diffinire auſi ſint. Paulus nempe ad tertium cælum raptus, an in corpore vel extra corpus eſſet, ſub dubio dereliquit, ſe
2. Cor. 12. autem neſcire profitetur, dicens: *Neſcio, Deus ſcit.* Bernardus mellifluus Doctor præ humilitate ſua de Stephani viſione loquens, an corporeis vel incorporeis oculis perſpexerit Ieſum à

dexteris

dexteris virtutis Dei, non est ausus determinare. Repleuit ergo Dominus dilectum sibi Albertum non tantùm sapientiæ sed & timoris spiritu; vt ostenderetur, quia Vnigenito repleto spiritu timoris Domini, is qui humilior multis repertus est, & vicinior in sapientia haberetur, cùm spiritus Christi non nisi in humilibus requiescere (teste Scriptura) solet. Isa. 66.

CAPVT VI.

Quòd Parisios mittitur, vbi magistralem cathedram ascendit, & qualiter malignus spiritus per ipsum fugatur signo sanctæ Crucis.

CVM igitur venerabilis Albertus adhuc Lector Fratrum tam excellenter in scientia clareret, mittitur ob spem maioris profectus Parisios. Veniens verò ad eumdem locum, legens Sententias cum omnium admiratione solemniter compleuit: erat enim disputator acutissimus, Lector sufficiens, vtpote in tali officio iam frequenter exercitatus, & multùm facundus eloquio;

mel

mel ſiquidem & lac in lingua eius, ideoque dulcedinem non modicam diſcipulorum mentibus infundebat. Tantam etiam copiam ſcholarium Pariſiis fertur habuiſſe, vt nec ſchola numerum audientium poſſet continere: quare compulſus eſt hac neceſſitate in loco quodam publico ſcholaſticos exercere actus. vnde vſque in hodiernum diem platea ipſa, in qua lectionem facere conſueuit, lingua Francigenarum *La place Maubert*, id eſt, Platea magni Alberti vocatur. Studio tamen ſic intendebat, vt nec contemplatione ſcibilium in actiua vita minoraretur, vel actione à diuinorum ſpeculatione eſſet alienus: ſed in vtriſque eò perfectior, quò diſcretionis libramine plus abundabat. Sciebat nempe quo fine ſtudendum eſſet, nec ignorabat malũ fore & damnabile, ſi ea quæ agenda erant ob ſtudij intenſionem negligeret. Studium igitur ipſius non turpis lucri cauſa vel vanitatis, ſed ſummæ virtutis fuit: vnde ſolerter aduertendũ eſt, in quanto perfectionis gradu extitit, cùm ipſum humani generis inimicus ab illo ſtudio retrahere conabatur; quod etiam perfectio-

ctioribus, vt vitiis implicet, persuadere solitus est. Qui enim studio inuigilant, quamuis recta intentione, superbiæ tamen iaculo quandoque vulnerantur, cùm scientia inflat; aut certè à melioribus bonis vel necessariis nonnumquam scimus retrahuntur: hunc autem, vt subsequens probat tentatio, neutrum læsit. Auctor namque libri Apum, Alberti discipulus, refert in vltimo capitulo secundi Libri nominati, eumdem Albertum sibi de seipso retulisse, quòd dum Parisijs in cella residens studio diligenter intenderet, apparuit ei malignus in specie Fratris cuiusdam, vt eum à studio reuocaret. Ille autem mox vt dolum intellexit esse inimici, facto contra eum signo Crucis, vmbraticum illud phantasma disparuit: inuidebat enim iam ille saluti plurimorum, qui pabulo doctrinæ viri Dei ad vitam erant nutriendi æternam; & timore anxius seminator errorum, lumine scientiæ, quo Doctor mirabilis fulsit, suas pertimescebat tenebras à multorum cordibus eliminandas; nec sui quidquam in illo ob scientiam superbię persuasor inuenit, cui tam aperta contra-

E riari

riari in ſtudio voluit viſione, dum ipſum cerneret in humilitate fixum ſuum aliorumque profectum ſtudio perutili procurare. Magiſtralem ergo cathedram in Theologica facultate ſortitus, in omnibus erat ſcientiis ſingularis excellentiæ, vt meritò illud ei dicatur:

Cunctis luxiſti, ſcriptis præclaru' fuiſti:
Mundo luxiſti, quia totum ſcibile ſciſti.

Sed nunc illud etiam inſerendum, quod in Vitis Fratrum Ordinis de ipſo & aliis Patribus in ſcientijs & moribus probatis commemoratur, vnde ipſius excellentia euidenter apparet: nam in præfato Libro approbato per Magiſtrum Humbertum ita reperitur, quòd de Ordine Fratrum Prædicatorum à tempore beatæ memoriæ Magiſtri Iordanis, qui obiit anno M.CC.XXXVI. Idib. Februarij, vſque ad annũ M.CC.LIX. fuerunt Magiſtri Licentiati à Cancellario Pariſienſi, & actu ordinariè legentes ſacram paginam Fratribus & ſcholaribus infrà nominati Fratres: Rolandus Cremonenſis; Hugo Viennenſis, poſtmodum Cardinalis; Ioannes de ſancto Ægidio,

Ægidio, Anglicus; Guerricus de sancto Quintino; Gaufridus de Bleuello, Burgundus; Albertus Teutonicus, postmodum Ratisponensis Episcopus; Laurentius Brito, Stephanus Altisiodorensis, Guilhelmus de Stamphis, Ioannes Pungens-asinum, Parisiensis; Bonus-homo Brito; Elias Prouincialis, Florentius Gallicus; Thomas de Aquino, Apulus; Hugo Metensis, Bartholomæus Turonensis; Petrus Tarantasiensis, postmodum Innocentius Papa. Hi omnes in Domo sancti Iacobi Ordinis Prædicatorum Parisiis duo & duo legerunt & disputauerunt in Scholis, præsentibus scholaribus & Religiosis, multisque Ecclesiarum Prælatis, Deo & hominibus gratiosi, multum fructum in Dei Ecclesia facientes. Quamuis nonnulli ex Magistris, præcipuè quatuor, vt narrat Præfatus Auctor libri Apum, fuerint infatigabiles incentores malorum, qui simplicitatem scholarium Parisiis contra dictos Fratres feraliter concitarunt, in tantum, vt nisi se piissimus ac deuotissimus Rex Franciæ Ludouicus & frater eius Comes Pictauiæ Alfonsus pro Fratribus murum posuis-

ſent,abdicatos Fratres rebus & corporibus exterminaſſent. Facta eſt autem hæc Magiſtrorum contradictio anno Domini M.CC.LV.cùm legeret in Scholis Frater Bonus-homo, ſic appellatus cum ſocio ſuo ſupradicto. Nam ante illum præcipui in ſcientia fuerunt Hugo Viennenſis, Guerricus, & Albertus, qui tres ob ſanctitatem & ſcientiam dignis laudum præconiis extolluntur. Cùm ergo in tempore illo Hugo ad Prouincialatus officium in Prouincia Franciæ electus, & paulò pòſt effectus Cardinalis; Albertus etiam de Pariſiis rediens in Alamanniam, & in Prouincialem Teutoniæ electus; Magiſtri præfati quatuor malorum incentores odium quod ceperant priùs, iam acriùs protendebant, dum maiores abſentes, qui reſiſtere poterant, viderant. Poſtmodum autem vnus ex quatuor Magiſtris aduerſarijs Fratrum, nomine Chriſtianus Beluacenſis, infirmatus, amariſſimo corde contritus, recognouit, ſe nihil & complices ſuos contra dictos Fratres habuiſſe, niſi quòd eis æquari ſcientia non valerent, & ob hoc eos paruipenderent Auditores, ſicut Auctor libri

Apum

Apum apertè ſuis ſcriptis teſtatur. Hic etiam Chriſtianus iam nominatus condemnatus fuit ab Alberto ob errorem ſuum, eò quòd dixerat, ante finem mundi Sanctos exiſtere ſine peccato originali; & quòd Chriſtus cum eis corporaliter comedens & bibens, liberaret eos ab omnibus malis per mille annos. Quam hæreſim dixit Albertus ſe condemnaſſe cum aliis Magiſtris ſuper Matthæum circa illum textum, *Sed libera nos à malo.* vbi eumdem præfatum Chriſtianum Beluacenſem auctorem huius erroris nominatim exprimit.

CAPVT VII.

Quòd beatus Thomas ſtuduit ſub Alberto, & qualiter ſpiritu Prophetico præuidit beati Thomæ in ſtudio profectum.

TERTIO autem anno Magiſterij ſui, Albertus iterùm mittitur Coloniam ad legendum. Factumque eſt in illis diebus, vt ſanctus Thomas iam in Ordine ſtabilitus, cùm fratres ſui carnales ab omni impugnatione ceſſaſſent,

mitteretur ad Magiſtrum Ordinis, videlicet Fratrem Ioannem Teutonicum, quondam Epiſcopum Boſuenſem, vt eidem Thomæ de ſtudio generali prouideret. Quem cùm idem Magiſter Ioannes in filium chariſſimũ in Chriſto ſuſcepiſſet, duxit Thomam, vt in Legenda eius habetur, de Pariſiis in Coloniam, vbi ſub Fratre Alberto, Magiſtro in Theologia eiuſdem Ordinis, florebat ſtudium generale, qui reputabatur in omni ſcientia ſingularis. Quò cùm perueniſſet ſanctus adoleſcens, audiſſetque in omni ſcientia profunda & miranda docentem; gauiſus eſt ſe citò inueniſſe quod quæreret, à quo haurire poſſet auidiùs quod ſitiret. Cùm autem Frater Thomas miro modo taciturnus, orationi & ſtudio, propter quod venerat, ſolicitè eſſet intentus, cœpit Magiſter Albertus librum de Diuinis nominibus legere, Thomas verò præfatus de Aquino cum alijs lectionem ipſius audire. Quadam autem vice cùm ſchedula, in qua collecta à Fratre Thoma, Magiſtro allata fuiſſet, admirans ille diſcipuli ingenium, & aduertens in ipſo tam diuturnum ſilentium

cum

cum tanta simplicitate & puritate conuersationis; non dubitat quin magnæ alicuius gratiæ occultæ id priuilegium foret. Assignat igitur illi quæstionem difficilem satis, de qua in crastino responderet; cumque ad omnia argumenta soluendo sufficientissimè respondisset, fertur Magistrum Albertum per spiritum prophetiæ sic dixisse: *Vos bouem mutum esse ipsum dicitis, sed talem adhuc in doctrina dabit mugitum, vt totus mirabitur mundus.* Vnde post hoc Magister, sui discipuli probata sufficientia, omnes difficiles actus scholasticos tamquam magis idoneo committit. At verò Magister Albertus cùm libros Ethicorum cum quæstionibus legeret, Frater Thomas Magistri lecturam studiosè colligens, redegit in scriptis Opus stilo disertum, subtilitate profundum, sicut à fonte tanti Doctoris haurire potuit, qui in scientia omnem hominem in sui temporis ætate præcessit. Hæc omnia in Legenda sancti Thomæ: in qua & hoc sequitur, quòd Magister Albertus præuidens velocem in doctrina discipuli profectum, persuasit Magistro Ordinis, vt Fratrem Thomam

pro Baccalaureo in Parisiensi studio acceptaret, describens ipsum in scientia sufficientem, & in vita probatum. Quanto autem tempore beatus Thomas discipulus Magistri Alberti fuerit, certum non habemus: bis tamen ipsum Coloniæ sub Alberto studuisse probamus. Primò enim prolapsus à curia, vt priùs notatum est, studuit Coloniæ, quousque ipse Albertus præclarus Lector Parisios promouendus in Magistrum est translatus. Secundò verò, vt iam diximus ex Legenda ipsius, cùm post Magisterium Alberti reductus est per Ioannem Magistrum Ordinis Coloniam. Communi autem fama in Coloniensi Conuentu dici solet, beatum Thomam Coloniæ sub Alberto nouem annis studuisse; vbi & vtrorumque cellæ, in quibus habitauerunt, demonstrantur. Vnde ex iam notatis considerandum est, & Magistri quanta fuerit excellentia & facundia in docendo, simulque quòd Prophetico spiritu claruerit; discipuli & quantus amor discendi, cùm hic, vt suum adimpleret desiderium, toties per multarum spatia terrarum, patriæ oblitus, honoribusque
reie-

reiectis, ad hunc singularem Doctorem Albertum, vtpote ad fontem sapientiæ, præ alijs Magistris sitibundus vt ceruus non fastidiuit declinare. Creditur etiam absque omni ambiguitatis scrupulo, magnum apicem scientiæ ab Alberto sanctum Thomam sumpsisse; quod euidenter apparet si libri vtrorumque inspiciantur: nam reperies frequenter easdem sententias sub eisdem verbis expressas, articulos etiam per omnia sub eadem forma in argumentis & solutionibus positos. Nec hoc derogat sanctitati Thomæ, cùm sit humilitatis; nec minor ideò est in scientia, cùm hoc ipsum apud Hieronymũ inuenies, dum suis dictis quędam ex aliorũ Commentariis interserit, vt Ambrosij & Theophili. Sed etiam in hac re formam videmus summæ humilitatis Alberti, qui numquam pænè opinionem ponit propriam, quin Sanctorum dictis ipsam confirmare studet, non mutando verba, vt quibusdam moris est; sed tenorem verborum in omnibus seruans. Notat enim ipse Albertus in quodam passu suorum Librorum, vanitatis amatores reprehendendo, cùm dicit: *Sunt*

quidam, dum nihil inuenire possant ex se, ea quæ dicta sunt ab aliis, ipsi scribere sub alia forma verborum nituntur. Illos verò collaudat in sua Metaphysica, qui non ad ostentationem, sed pro maiori elucidatione Doctoris cuiuscumque dicta terminando explanant.

CAPVT VIII.

Qua intentione scripsit tantum in Philosophia, & quàm necessarium fuit hoc fieri sua ætate.

ET antequam de Alberti vita prosequimur, alia quoad eius doctrinam sunt præmittenda. In primis igitur notandũ, quòd mouere non debet quempiam res ista, quia Albertus non solummodò Sacrarum litterarum lucidissimus est Doctor, verumetiam Philosophorum pænè omnium fidelis interpres, ita vt nullus illi hac in re similis inueniatur. vnde quorumdam fortassis falsa imaginatio, vel pũra ignorantia, aut etiam nonnumquam vitiosissima inuidia curiosum ipsum in naturalibus nimis fuisse affirmare præsumit. Sed si

tales

tales vaniloqui prudentium virorum vigerent ingenio, necnon illius dicta vtili inspicerent diligentia, aut qua intentione, in quem finem, siue qua ætate sæculi id suo perfecerit excellenti ingenio, non canino dente viri Dei famam rodere ausi fuissent; magis autem illi gratiarum actiones pro perutili doctrina pijs labijs frequentiùs personarent. Suo enim tempore hæresis importuna, vt met testatur, nimiùm diuersis in mundi partibus Dominici gregis caulas fœdauerat: varia insuper superstitionum germina pullularant: maledictorum turba nigromanticorum magna suis falsis miraculis multos fascinauit è populo, vt Annalium Scriptores commemorant. Inter Doctores variæ opiniones erroneæ. Sed hi omnes sui erroris non tantùm ex Sacris eloquiis malè intellectis sophisticas sumpserunt probationes, sed & Philosophicis dictis, imò naturalium etiam causarum actione, ea quæ naturali ordine fieri ipsa natura prohibet, quandoque malefici exhibere se mendaciter promittebant, ex scientijs nimirum Astronomiæ, Mathematicæ, Alchimiæ, aliisque pluribus

paucissis tunc sicut & nunc notis, suæ vesaniæ falsam habentes excusationem. Necessarium ergo fuit, virum in omni scientia plenissimè edoctum, & experientijs multarum rerum ignotarum certissimum, sanctæ Ecclesiæ ad separandum pretiosum à vili, vt sciretur quid veritatis aut falsitatis quibusdam scientijs admixtum esset, ex Prædicatorum Fratrum mittere collegio, quibus omnia probare, & quod bonum est tenere, iuxta suæ professionis tenorem competit. Attendant igitur omnes, totius Philosophiæ Albertum interpretem, non pro curiositate, vt suspicari fortè quidam possent, fuisse, sed diuersis motum vtilitatibus, vel precibus aliorum, tam Fratrum sui Ordinis quàm sæcularium virorum, qui vtiliter scientijs istis intendebant, quibus scientijs etiam frequenter studiosus adiuuatur ad sacræ Theologiæ pleniorem intellectum. Vnde in principio libri Physicorum sic ait: *Intentio nostra est, in scientia naturali etiam satisfacere pro nostra possibilitate Fratribus Ordinis nostri, nos rogantibus ex pluribus iam antecedentibus annis, vt talem librum de Physicis eis componere-*

poneremus, in quo & scientiam naturalem perfectam haberent, ex quo libros Aristotelis competenter intelligere possent. Ad quod opus licet nos insufficientes reputemus, tamen precibus Fratrum deesse non volentes, quod multoties abnuimus, tandem suscepimus deuicti precibus aliquorum: ad laudem primò Dei omnipotentis, qui est fons sapientiæ, & naturæ factor, & institutor, & rector, & ad vtilitatem Fratrum, & per consequens omnium in eo legentium, & desiderantium adipisci scientiam naturalem. Addemus autem alicubi partes Librorum quos vel Aristoteles non fecit, vel si fecit, ad nos non peruenerunt, cùm sint tres partes essentiales Philosophiæ, Physica, Metaphysica, & Mathematica. Intentio nostra est, omnes prædictas partes satisfacere Latinis intelligibiles. Primò, complebimus Deo dante scientiam naturalem: deinde loquemur de Mathematicis omnibus, & intentionem nostram in scientia diuina finiemus. hæc Albertus. Ex quibus clarè audis suis ex proprijs verbis intentionem suam. Et licet omnia dicta Philosophorum interpretatus est, non tamen ea quæ falsa sunt, vel probabilia videntur, approbare

vult, tamquam aliter esse non possint: vnde ait in fine Metaphysicæ suæ ita: *Hic finis Disputationis istius, in qua non dixi aliquid secundùm opinionem meam; sed omnia quæ dicta sunt, secundum positionem Peripateticorum: & qui hoc voluerit probare, diligenter legat Libros eorum, & non me sed illos laudet vel reprehendat.* Item idem in fine libri de Causis sic ait: *Eligat vnusquisque quod vult. Ea enim quæ dicta sunt, secundùm Peripateticorum rationes determinata sunt, & non assertionibus nostris inducta, & assiduis postulationibus sociorum nostrorum potiùs extorta quàm impetrata.* hæc idem. Qui licet Magister esset omnium, Fratres tamen suos & socios recognoscit, quos etiam in libro de Lapidibus sociorum nomine designat. Quid verò sentiat de Philosophia, in fine libri de Animalibus insinuat, vbi sic ait: *Iam completus est Liber Animalium, & in ipso completum est totum opus naturarum, in quo sic moderamen tenui, quòd dicta Peripateticorum, prout meliùs potui, exposui; nec aliquis in eo potest deprehendere quid ego ipse sentiam in Philosophia naturali. Sed quicumque dubitat, comparet quæ in*

nostris

nostris Libris dicta sunt dictis Peripateticorum, & tunc vel reprehendat vel consentiat, me dicens scientiæ ipsorum interpretem & expositorem. Si autem non legens & comparans reprehenderit, tunc constat ex odio eum reprehendere vel ignorantia, & ego talium hominum parum curo reprehensiones. hæc Albertus. Notandum etiam, quòd in Philosophia non tantùm proprias ponit opiniones, sed voluit magis explanare sententiam Peripateticorum. vnde in tertio libro de Somno & vigilia, Tract. I. cap. XII. ita ait: *Est autem & aliud genus visionis & prophetiæ secundùm altissimos Theologos qui de diuinis loquuntur inspirationibus, de quibus nos ad præsens omnino nihil dicimus, eò quòd hæc ex Physicis rationibus nullo modo potest cognosci; Physica enim tantùm suscepimus dicenda, plus secundùm Peripateticorum sententiam prosequentes ea quæ intendimus, quàm etiam ex nostra scientia aliquid vellemus inducere. Si quid enim fortè propriæ opinionis habemus, in Theologicis magis quàm in Philosophicis Deo volente à nobis proferetur.* hæc Albertus loco prællegato. Et ideò notandum, quòd multa, in Physicis

cis præsertim, posuit recitatiuè quàm affirmatiuè: nec hoc mirum, cùm idem fecerit Hieronymus & Augustinus in Theologicis ex Platonicorum doctrinis: vnde eos quandoque consueuimus excusare, cùm nobis videantur quædam erronea inseruisse codicibus suis: sicut quandoque inuenies Albertum & Thomam excusantes antiquos Doctores, dicendo quòd non errauerint, sed recitauerint dogmata Philosophorum, in quorum vijs erant enutriti; Platonici enim fuerunt omnes pænè Doctores antiqui.

CAPVT IX.

Qualiter Albertus reprehendit Nigromantiam & alias scientias conterminales Nigromantiæ, & quòd laudandus sit specialiter ob hoc cum Daniele & Moyse.

INSVPER annotare placet, quàm vtilis fuit hic Albertus sanctæ Ecclesiæ, non tantùm in Theologicis & naturalibus doctrinando, verùm & Nigromanticorum dogmata sine culpa inspiciendo

do & refutando: nam magno zelo fidei ſuccenſus, Nigromanticorum dicta, vt impugnare eoſdem fortiùs poſſet, ſine peccato, imò meritoriè perlegere voluit; quemadmodum Paulus Apoſtolus apud Athenienſes perluſtrando aras dæmonum & Poëtarum dicta, ad prædicandum Chriſtum verum Deum, ipſorumque errores vt citiùs eliminaret, occaſionem ſumpſit. Hic enim venerabilis Albertus Speculum Mathematicę compoſuit, vbi Aſtronomiæ libros vtiles & bonos à Nigromanticis ſeparat, datque intelligere qualiter licita ab illicitis diſcerni poſſint. Nigromantici namque per Aſtronomiam quandoque, vt ait Albertus, fide dignos ſe reddunt apud inſcios. Inde & aliqui inexperti Aſtronomiæ libros contemnunt, & tamquam noxios accuſant. Sed quid licitum, quid illicitum, quídve ſuſpectum, vel quid dubium eſſe poſſit, Alberti doctrinâ aperitur in Speculo iam nominato, quod ſic incipit: *Occaſione quorumdam librorum, apud quos non eſt radix ſcientiæ, qui cùm ſint veræ ſapientiæ inimici, hoc eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt imago Patris, & ſapientia per quam*

quam fecit & sæcula, Catholicæ fidei amatoribus meritò sunt suspecti; placuit quibusdam magnis viris, vt libros quosdam alios, & fortè innoxios accusarent. Quia enim plures antedictorum librorum Nigromantiam palliant, professionem Astronomiæ mentientes, nobiles libros de eadem scientia apud bonos & graues abominabiles reddiderunt. Quare vir quidam Zelator fidei & Philosophiæ vtriusque, Frater in Ordine suo, applicuit animum vt faceret memoriam vtrorumque librorum, exponens numerum, titulos, initia, continentiam singulorum in generali, & qui fuerint eorum Auctores, vt scilicet liciti ab illicitis separentur; & aggressus est vt diceret nutu Dei: Duæ sunt magnæ sapientiæ, & vtraq; Astronomiæ nomine censetur, &c. hæc verba Alberti initio Speculi præfati, qui ibidem post enumerationem librorum aliquorum ita adiecit dicens: *Isti sunt vtiliores ex libris Astronomiæ qui in lingua Latina inueniuntur; Perspectiua enim Aristotelis ad supradicta non descendit specialiter. Et isti sunt libri, qui si aspectibus virorum desideriorum subtracti fuerint, magna pars & valdè nobilis Philosophiæ erit sepulta, saltem ad*

tempus,

tempus, donec ſcilicet conſilio ſaniori reſurgat: quia ſicut dicit Thebit filius Chore, non eſt lumen Geometriæ, cùm euacuata fuerit Aſtronomia. Et iam ſciunt inſpectores prædictorum librorum, quòd in eis nec etiam vnicum verbum inuenitur quod ſit vel eſſe appareat contra fidei Catholicæ honeſtatem. Neque etiam forſitan iuſtum eſt, quòd hi qui eos numquam attigerunt, eos iudicare præſumant. hæc ſingula verba Alberti in Speculo; quibus verbis in eodem ita adiungit, dicens: *Secunda magna ſcientia, quæ ſimiliter Aſtronomia dicitur, eſt ſcientia iudiciorum aſtrorum. Huic parti ſupponitur illa pars quæ eſt de Imaginibus, de qua dictum eſt, Aſtronomia eſt imaginum ſcientia. Sed iſti parti aſſociantur illi libri maledicti Nigromantici de Imaginibus, præſtigiis, characteribus, annulis, & ſigillis, eò quòd ſimulationis gratia ſibi mutant quaſdam obſeruationes Aſtronomicas, vt ſic ſe reddant aliqualiter fide dignos, quorum venenum in ſubſequentibus manifeſtum faciam nutu Dei.* hæc Albertus vbi ſuprà.

Ecce, Lector, Alberti teſtimonio tibi dictum eſt, imagines, præſtigias, characteres, annulos & ſigilla ad maledictos Nigro-

Nigromanticos pertinere; etiamſi aliquid obſerues in huiuſmodi de ſcientia Aſtronomiæ, immiſcens bona malis, vera falſis: hæc eſt enim aſtutia diaboli, vt faciliùs decipiat. Sed vt Nigromanticorum ſacrilega ſtultitia clariùs cunctis appareat, alia ex eodem Speculo teſtimonia placet adducere: ait namque conſequenter idem Albertus, ſic inquiens: *Parti autem electionum dixi ſupponi imaginum ſcientiam, non tamen quarumcumque, ſed Aſtronomicarum; quoniam imagines fiunt tribus modis. Vnus modus eſt abominabilis, qui ſuffumigationes & inuocationes exigit: quales ſunt imagines Toëth Græci & Garmath Babyloniensis, quæ habent ſtationes ad cultum Veneris: quales ſunt Balemim & Hermetis, quæ exorcizantur per viginti nomina angelorum, qui ſubſeruire dicuntur imaginibus Lunæ in circulo eius, & fortè potiùs ſunt nomina: & ſculpuntur in eis ſeptem nomina recto ordine. Subfumigantur etiam pro re bona cum ligno aloës, per quæ profectò ſpiritus non coguntur; ſed quando Dominus permittit, peccatis noſtris exigentibus, vt decipiant homines, exhibent ſe coactos. Hæc eſt idololatria peſſima,*

quæ

quæ vt reddat se aliqualiter fide dignam, obseruat 28. mansiones Lunæ, & horas diei & noctis, cum quibusdam nominibus dierum, horarum, mansionum ipsarum. A nobis longè sit modus iste; absit enim vt exhibeamus creaturæ honorem, debitum Creatori. Est alius modus minùs incommodus, detestabilis tamen, qui fit per inscriptionem characterum, per quædam nomina exorçizandorum; vt sunt quatuor annuli Salomonis, & concaudariæ, & tres figuræ spirituum qui dicuntur principes in quatuor plagis mundi, & Alamanda Salomonis, & Sigillum ad dæmoniacos; ampliùs, septem nomina ex libro Mahometh, & duodecim alia ex eodem, & rursus nomina ex libro Instructionis qui dicitur Rachielis, scilicet terræ, maris, aëris, aquæ, ignis, ventorum & mundi cardinum, signorum & planetarum, & angulorum eorum secundùm quòd singuli in diei & noctis triplicitatibus diuersa nomina sortiuntur. Hic modus etiam longè sit à nobis, suspectus est enim ne saltem sub ignota lingua nominibus lateat, quod sit contra honestatem fidei Catholicæ. Isti sunt modi imaginum Nigromanticarum, qui nobile nomen Astronomiæ vsurpare præsumunt, & iam

diu

diu est quòd ex eis multos libros inspexi; sed quoniam abhorrui eos, non extat mihi perfecta memoria super eorum numero, titulis, initiis, aut continentiis, vel Auctoribus eorumdem: spiritus enim meus numquam requiescebat in illis; benè tamen volui transeundo vidisse, vt saltem non ignorarem qualiter esset eorum miseris sectatoribus irridendum, & haberem de suo vnde repellerem excusationes eorum, vel quod potissimum est, vt de consimilibus de cetero non tentarer, cùm persuasiones eorũ inualidas, & ideò non admittendas censerem. hæc Albertus venerabilis in Speculo.

Vt reor autem, clarissimè agnoscis, Lector quicumque, impietatem fallaciamque Nigromanticorum; insuper & huius viri iusti sinceritatem, cuius spiritus intantum abhorruit nefas illorum, vt nec quidem transeundo dum voluit vidisse hos libros vtiliter, suam vellet memoriam ijs spurcitijs maculare. Intelligis etiam, ni fallor, quòd ad plenum Nigromanticorum ora non possunt obstrui, dum nituntur se excusare per Astronomiam, nisi redarguantur ex proprijs: & ideò ipse Albertus perlegere hos libros voluit, vt sciret qua-

qualiter essent irridendi sectatores ipsorum, & quod potissimum est, ne de cetero disputando cum ipsis Nigromanticis, fallacibus argumentis tentaretur, vt rationes admitteret eorum tamquam concludentes: tentant enim Sophistæ, concludere cupientes, aduersarios suos. Sed pleniùs vt agnoscas, ô Lector, de imaginibus Astronomicis, ipsum Albertum audi in iam sæpè nominato Speculo, vbi consequenter sic ait: *Tertius modus est imaginum Astronomicarum, qui eliminat istas spurcitias, suffumigationes & inuocationes non habet, neque exorcizationes aut characteris impressiones admittit, sed virtutem nanciscitur ex cælesti figura: vt si fuerit imago destructionis alicuius speciei ab aliquo loco,*&c. *ipsæ sunt imagines Astronomicæ, quarum nominibus se insigniunt Nigromanticæ antedictæ; & si tacitæ conditiones Nigromanticæ sunt, intolerabilis est, sicut & ceteri maledicti, quos nullus sanæ mentis præsumit excusare.* hæc Albertus, qui ibidem in Speculo adhuc de eisdem imaginibus Astronomicis ita adiungit, sic inquiens: *Partem verò quæ est de imaginibus Astronomicis, propter vicinitatem*

tatem quam habent ad Nigromanticas, non defendo, nec quidem commendo eas. hæc Albertus.

Notandum insuper, quòd idem Albertus in iam sæpè nominato Speculo de ipsis imaginibus Astronomicis dicit, quòd non debent iniquitatem aliarum portare imaginum, vt sibi videtur: & ratio ibi in promptu habetur, quia in alijs imaginibus est aperta idololatria, vt superiùs patuit; in Astronomicis autem implicita, & vicinitas est aliqua ad Nigromanticas. & hoc dixit Albertus, vt sciretur gradus malitiæ in istis imaginibus. Ponit deinde venerabilis Albertus in præfato Speculo nomina multorum librorum Nigromanticorum, & qui Auctores eorum, sed & initia Librorum, vt Lectores caueant se ab eis. Sunt autem numero quasi viginti & amplius, inter quos multi subdiuiduntur in distinctos Tractatus: post quorum Librorum enumerationem in fine ita concludit, dicens: *Sed qui omnium pessimus inuenitur, est Liber quem scripsit Aristoteles ad Regem Alexandrum, & incipit: Dixit Aristoteles Regi Alexandro: Si vis recipere. Et quidam*

vocant

vocant eum mortem animæ. Isti sunt libri quos mihi ad memoriam reuoco, licet plures viderim ex illis; scilicet de imaginibus quas dixi fieri cum suffumigationibus, inuocationibus, exorcizationibus, & characteris impressionibus, qui sunt duo modi imaginum Nigromanticarum. hæc Albertus.

Hic etiam Albertus de eodem Aristotele, inculpando ipsum in secundo scripto, distinctione septima, quæstione quarta dicit, quòd Aristoteles ait in Libro de Mansionibus Lunæ sic: *Quando descendit Selmy, Albethaym fac ad amorem Dominatoris terræ, idola consla, angelos ad te clama*, &c. post quæ verba in scripto dicit consequenter Albertus sic: *Constat quòd non intelligitur de bonis Angelis, ergo mali faciliùs tunc veniunt quàm alio tempore: Selmy enim idem est quod Luna; Albethaym autem constellatio quædam quæ est in secunda mansione Arietis.* hæc Albertus de Aristotele.

Quare autem dæmones libentiùs sub vna quàm alia constellatione apparent Nigromanticis, dat Albertus in secundo scripto in præfata distinctione tres rationes. Prima, Quia malignus sua

opera ſciens imperfecta, conſtellatione quandoque adiuuatur in operationibus ſuis, & ſic potentior apparet mago. Secunda, Ne magum vel Chaldæum faciat horrere, dum videatur cælum cooperari ſibi in operationibus. Tertia, Quia vellet magum ſeducere ſpiritus malignus, vt crederet aliquid numinis ſtellis ineſſe, vt ſic in apoſtaſiam abducat. Notandum conſequenter, quòd Albertus adhuc in eadem diſtinctione dicit, ſemper eſſe in talibus non tantùm oris ſed etiam operis, & ſemper fieri contumeliam fidei in characteribus & ſpeculis, etiamſi nulla fiat inuocatio. Hęc omnia tibi, ô Lector, per Albertum narrata cognoſce, vt ſcias impietatem Nigromanticorum, & abhorreas apoſtaſiæ crimen incurrere. Hìc ergo taceant præſumptuosè garrientes, qui ita Ariſtotelem extollere geſtiunt, vt dicant non eſſe dubium quin ſaluatus ſit, cùm tamen contrarium clamet Albertus venerabilis & doctiſſimus vir, oſtendens ipſum Ariſtotelem in præfato Speculo non tantùm circa creationem mundi erraſſe, verùm etiam peſſimum auctorem Nigromantiæ extitiſſe.

C A-

CAPVT X.

Quòd nemo debet ſtudere Nigromantiam nec magicam artem.

QVOD autem Nigromantiam nemo poteſt ſtudere propter ſcire tantùm, etiam ſi non vtatur ipſa, probatur per Alberti verba in ſecunda Parte de Mirabili ſcientia Dei. In vna ſolutione dicit ſic: *Omnis curioſa & ſuperflua inueſtigatio rerum ad ſenſus interiores vel exteriores pertinentium, reducitur ad concupiſcentiam oculorum: ſtudia tamen laudabilium & bonorum, ſicut ſunt ſtudia liberalium ſcientiarum, bona ſunt, & ideò ad malam radicem non ordinantur; ſed ſtudia magorum & Nigromanticorum, quia mala ſunt & ſuperflua, & ab Eccleſia interdicta.* hæc ille. Quare & ipſe Albertus met de ſe dicit, vt ſuperiùs habitum eſt, quòd eas non ſtuduit, cùm ſtudium ſit vehemens animi applicatio ad ſciendum aliquid; ſed tantùm tranſitoriè perlegiſſe Libros illos ſe teſtatur, vt poſſet reprobare eoſdem. quod certiſſimè peccatum non eſt, ſed virtu-

tis operatio: hoc enim facto caput Goliath proprio amputatum est gladio. Sic & de Daniele legimus sancto Propheta & socijs eius, Danielis primo capite, vbi sic habetur: *Pueris* istis *dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem* dedit *intelligentiam omnium visionum & somniorum*. Circa quem Textum beatus Hieronymus sic ait: *Vt de Chaldæorum scientia iudicarent*. Quæ verò fuerit sapientia & doctrina Chaldæorum, ipse Albertus in sua Postilla super eumdem Danielem circa illum Textum vbi dicitur, *Vt doceret eos litteras Chaldaicas*, exponit, sic subiungens: *Scilicet quæ maximè sunt de diuinatoriis scientiis. constat ergo, quòd Daniel eiusmodi scientias sciuit, sed non exercuit*. Et hoc idem beatus Hieronymus suo dicto confirmat super Danielem, circa illum Textum vbi dicitur: *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius*. vbi Hieronymus ita adiungit, dicens: *Qui de mensa Regis & vino potus non vult comedere ne polluatur, vtique si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum sciret esse peccatum, numquam*

quam acquiesceret discere quod non licebat: discunt autem non vt sequantur, sed vt iudicent atque conuincant. quo modo si quispiam aduersum Mathematicos velit scribere imperitus Mathematicus, risui pateat; & aduersum Philosophos disputans, si ignorat dogmata Philosophorum. Discunt ergo ea mente doctrinam Chaldaicam, qua Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat. hæc omnia gloriosus Hieronymus loco præfato. Sed & venerabilis & sanctus Ambrosius huic sententiæ consentit, vbi dicit super Lucam, & habetur in Decreto sic: *Legimus aliqua ne negligantur, legimus ne ignoremus, legimus vt non teneamus, sed vt repudiemus.* hæc Ambrosius. Cùm ergo Spiritus sanctus Danielem laudare voluit ob peritiam sapientiæ Chaldæorum, quæ mala erat in vsu Gentilium; profectò laudandus erit Albertus, qui huiusmodi diabolicã scientiam perlustrare voluit, vt damnaret eamdem cum suis Auctoribus. vnde & ipse Frater Vlricus Engelberti de Argentina, Prædicatorum Ordinis Religiosus, & doctissimus vir, Alberti discipulus, Magistrum suum Albertum de tali pe-

ritia commendare ſpecialiter voluit: dicit enim hic Vlricus in ſua Summa Theologiæ libro quarto, vbi loquitur de apparitionibus Angelorum, narrando Magiſtrorum opiniones, de hac re ſic concludens: *Aliter autem ab omnibus præmiſſis ſentit Doctor meus Dominus Albertus, Epiſcopus quondam Ratiſponenſis, vir in omni ſcientia adeò diuinus, vt noſtri temporis ſtupor & miraculum congruè vocari poſſit, & in magicis expertus, ex quibus multum dependet huius materiæ ſcientia.* hæc Vlricus. Ecce Frater Vlricus Magiſtrum de experientia magicarum artium laudare voluit, tamquam ſi ſingulare ſit bonum, iuxta Apoſtoli vocem, non ignorare fallacias inimici; nec vtique diuinum hominem Albertum dixiſſet, ſi hunc cum peccato magicas ſcientias iudicaſſet habuiſſe. Experientia enim non dicit operationem, ſed iuxta Alberti ſententiam in tertio ſcripto diſtinctione XXIV. experimentum eſt cognitio in ſingularibus accepta. Accipimus autem cognitionem particularium quandoque viſu, quandoque auditu, vel etiam ſcripto: ſicut conſueuimus dicere hunc eſſe ex-
pertum

pertum Confessorem, qui multorum licet peccatorum particularium quoad varias circumstantias non sit operator, ipsorum tamen fuit auditor, & propter aliorum salutem extitit curiosus explorator. Sic & illum in multis malis expertum dicimus, qui paucorum malitias sustinendo, persecutiones & tribulationes est perpessus, sicut de venerabili Patre Humberto Magistro Ordinis Prædicatorum legitur, quòd fuerit multùm expertus, quia multis tribulationibus excoctus: sic & Albertum hunc in omnibus dicimus expertum, quia omnia legendo, examinando, inquirendo, disputando perlustrauit. Et quia Albertus perlustrando nugas Nigromanticorum, sacrilegia opera ipsorum iudicabat, benè adiecit in Speculo præfato, ita subiungens de libris Nigromanticis: *De libris Nigromanticis sine praiudicio melioris sententiæ dico, quòd videtur quòd magis debeant seruari quàm destrui: tempus enim fortè iam propè est, quia propter quasdam causas, quas modò taceo, eos saltem occasionaliter proderit inspexisse. Nihilominùs tamen ab ipso vsu caueant inspectores eorum.* Hæc Al-

bertus; qui, vt audis, manifestè interdicit vsum Nigromanticorum librorum: quare autem, vt ei videtur, seruari debeant, superiùs audisti, ni fallor. Et hoc idem nostro tempore quibusdã sapientibus videtur, qui dicunt vtile fore si committeretur conscientiosis viris & iuratis, vt huiusmodi perlegerent libros, eorumque Professores oris sui gladio interficerent. Vnde & ipse Magister Ioannes de Grisonna, qui contra Nigromanticos aliqua scribit, in Quæstione quam ponit in fine Trilogij sui, in quarta propositione sic dicit: *Expediens videtur, si sine periculo abusus seruarentur libri Nigromantici.*

CAPVT XI.

De gradu malitiæ artium conterminalium Nigromantiæ: & quare nominãtur ab Alberto Garrimantiæ, & non merentur nomen scientiæ.

CONSEQVENTER aliorum superstitiosorum sectas conuincit & damnat venerabilis Albertus sui oris spiritu in Speculo pręfato; vnde ait ibidem sic:

Sunt

Sunt prætereà quidam libri experimentales, quorum nomina Nigromantiæ sunt conterminalia; vt sunt Geomantia, Hydromantia, Aërimantia, Pyromantia, Chiromantia; quæ non merentur dici scientiæ, sed potiùs Garrimantiæ. Sanè cùm Hydromantia in extis animaliũ abluendis, inspiciendisque fibris; & Pyromantia in figura ignis, quo consumitur holocaustum, fieri consueuerunt: proculdubiò idololatriæ speciem non excludunt. In Geomantia verò nihil talium inuenio, sed confidit in Saturno & in domino horæ, qui ei pro radice ponantur; gaudet numeri ratione fulciri, & sunt multi qui ei testimonium perhibent. Non sic autem de Aërimantia; friuola enim est, licet ratione numeri se iactare præsumat. De Chiromantia nolo determinationem præcipitem ad præsens dare vel facere, quia fortè pars est Physiognomiæ: quæ collecta videtur ex significationibus magisterij astrorum super corpus & super animam, dum mores animi conijcit ab exteriori figura corporis. hęc Albertus. Ecce quinq; Artes prænominatæ, secundùm Albertum non merentur dici scientiæ, ergo nec scientiæ sunt. Verbo igitur isto tibi persuásum sit, quòd nec verorum

ſint, nec neceſſariorum: quid autem potiùs ſint, conſequenter Albertus exponit, dicens: *Potiùs ſunt Garrimantiæ.* Garrimantiæ autem fictitiæ ſunt Apollinis vel Pythonis; cuius oracula partim fuerunt vera, partim falſa, quandoque etiam dubia; quod ex Libris Auguſtini de Ciuitate Dei apertiſſimè patet, qui dicit, quandoque de Chriſto & Chriſtianis populis vera, quandoque falſa, imò blaſphemias dixiſſe. Iſte Apollo, vt fabulantur Gentiles & idololatræ, inuenit carmina & incantationes ad ægritudines depellendas; & hæc carmina, vt dicebant, habuit ex reuelatione quæ fit etiam pueris, ſicut Danieli: & ideò depingebatur in delubris Gentilium imberbis tamquam iuuenis. Hic autem dæmon quia multa garrire & futura prædicere ſolebat præ alijs dijs, ideò contingebat vt quandoque verum contingenter diceret, ſicut & diuinantes in hoc ſpiritu immundo aliqua vera dicere conſueuerunt, licet multò plura falſa profarentur vel dubia, quæ tamen miſeri non attendebant. Quòd autem vera quandoque dixit hic ſpiritus, habetur Actuum XVI. de puella obuiante

Paulo

Paulo & socio suo Lucæ, quæ dicebat Gentilibus per spiritum Pythonem prophetans ita: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus.* Et hic spiritus licet coniecturaliter vel ex reuelatione bonorum Angelorum dicat quandoque vera, seducere tamen intendit: quare & fictitijs suis reuelationibus huiusmodi scientias diuinitiuas creditur tradidisse suis cultoribus, admiscens aliqua obseruanda ex scientia Astronomiæ, vt minùs appareat falsitas occultata; & ideò rectè de illis diuinatoribus dicit ipse Albertus super illud Isaiæ XLIV. *Et quæ ventura sunt, annuntient eis. Quod Mathematici vel idololatræ aliquando annuntiant, ex coniecturis est & præsumptionibus fatuis, & non ex certitudine.* Nominat etiam ipse Albertus in alio loco Postillæ suæ hunc dæmonem, Pythonem ventriloquum, quasi ex ventre hominum loquentem, quia per illum diuinant & garriunt multa. Conuenienter igitur Albertus huiusmodi fictas scientias à ventriloquo spiritu inuentas Garrimantias appellat, quasi diuinationes Act. 16.

 spi-

ſpiritus multùm garrientis: nec abſque rátione; aiunt enim, hunc Apollinem habuiſſe filium nomine Garramas; & ſic non incongruè etiam ſectatores illius Garrimantici ſunt appellati, & falſa eorum ſcientia, Garrimantia. Sed, ni fallor, aduertiſti inter quinque præmiſſas Artes gradum malitiæ ex Alberti verbis: Hydromantia enim & Pyrómantia pertinent apertè ad idololatriam; Aërimantia ſuperſtitioſa & friuola eſt, nulla ratione fulcita; Geomantia autem, licet non ſit ſcientia, ſed Garrimantia, minùs tamen illicita alijs, quia rationibus quibuſdam ſe videretur defendere; propter quod dixit Albertus, quòd ei teſtimonium perhibent multi. Sed ipſe contrarium ſentiens illis, nominat eam Garrimantiam, & conterminalem Nigromantiæ. Imò in Poſtilla ſuper Ezechielem cap. XXI. circa illum Textum vbi dicitur, *Et manu capiet coniecturam*; ita adiecit Albertus, dicens: *Nam Rex Babylonis ſtetit in biuio, vbi diuiditur via in Ieruſalem & in Rabbath Ammon, & dubitans quò iret, inſcripſit multas valdè ſagittas nominibus terrarum quas expugnare voluit, & ſic inſcriptas in pharetra caſua-*

*casualiter commiscuit, ut quamcumque commixtarum casuali motu manus comprehenderet, terra illi sagitta inscripta capienda esset: dicunt enim Mathematici, quòd quando homo est sollicitus de statu suo, quòd tunc cælum mouet manum, sicut determinatur in Geomantia in proiectione punctorum, dummodò proijciens manum non moueat; intentio enim excludit motum cæli, eò quòd intentio propinquior motus est & fortior, & instinctum cæli facit non percipere, & hoc determinatur in scientiis talibus coniecturalibus, quæ sortionales vocantur, quæ tamen interdictæ sunt Numer.*XXIV. *Non est augurium in Iacob, & diuinatio in Israël.* hæc Albertus; qui etiam Isaiæ XLVII. damnat Geomanticos circa illud, *Sta cum incantatoribus tuis. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum.* sic enim ait, Textum exponens: *Sunt tria adiutoria quorumdam hominum, scilicet maleficorum, incantatorum, & Mathematicorum, quæ in veritate non consilia sed stultitiæ sunt; talibus enim innitebantur Chaldæi: Mathematici enim effectus stellarum ad determinatas horas reducere quærunt, & à sola scientia Domini separati sunt qui hæc inuestigant.* hæc

Albertus. Ex quibus verbis ſtultitia & prẹſumptio Geomanticorum reprehenditur, quamuis ſibi pro radice ponant Saturnum & dominum horæ. Quare autem Albertus de Chiromantia ſententiam præcipitem dare noluit, facillimè deprehenditur ex verbis ſuis, cùm dixit; *Quia fortè pars eſt Phyſiognomiæ.* & hoc verum eſt, non quoad illa quæ ſuperſtitioſi homines prædicere ſolent ex figura vel lineamentis manuum, vt noſtro tempore faciunt vetulæ quædam, & illi Ægyptiaci qui per totum mundum vagantur; ſed vt Philoſophi probati de inclinationibus hominum ad mores vel infirmitates per Philoſophicas formas membrorum coniecturaliter prognoſticantur, nec tamen huiuſmodi diſpoſitiones membrorum neceſſitatem imponunt: de quibus ab ipſo Alberto in ſuo Libro de Animalibus aliqua narrantur, nulla habentia ſuperſtitionem, quæ hîc narrare longum eſſet. Et cùm ita ſit, nihilominùs tamen Chiromantia non ſcientia ſed Garrimantia ab Alberto appellata eſt, eò quòd multa ſuperſtitioſa, quædam dubioſa habet admixta. Conterminalis

lis ergo secundùm ipsum est Nigromantiæ, & non sectanda.

CAPVT XII.

Quòd fascinatio non est naturaliter, sed ministerio dæmonum fit. quòd autem homines quidam generantur qui mira agunt, rarò tamen, per Albertum declaratur.

QVI autem fascinationem defendere nituntur cum Auicenna, qui dixit cum aliquibus Philosophis, quòd anima in tantum posset esse eleuata conceptu mentis & imaginationis, quòd non solùm corpora moueat hominum; sed etiam eius virtutis, vt eleuet nubes, & producat pluuias, & ignes faciat coruscare per solum imperium, propter obedientiam quam habet materia generabilium ad huiusmodi animam: & hanc dixerunt potestatem Prophetarum esse, qui signa & portenta ostendunt: audiant Albertum in suo Libro de Motibus animalium, qui dicit omnino falsam esse hanc opinionem, quam etiam ibidem magistraliter impugnat

pugnat

pugnat & destruit. Hanc eamdem opinionem Auicennæ falsissimam etiam impugnat in De somno & vigilia, dicens quòd non potest probari per Philosophiam. Item adhuc in secundo scripto, distinctione VII. ipsam præfatam opinionem recitat & adiungit, sic dicens: *Non approbo dictum Auicennæ & Agazel de fascinatione: quia credo quòd fidem firmam in Domino habenti non nocet fascinatio, nec nocere potest ars magica, nec facit aliquid ex ijs quæ timentur de talibus*. Ex his verbis Alberti habes, quòd fascinatio pertinet ad Magos; & quòd aliquando fit, non vtique ideò fit, quia hanc homo naturaliter potest, ligando scilicet alium; sed ob perfidiam hominum: qui non firmi in fide timent huiusmodi; tunc profectò non mirum quòd diabolus sit fascinationis operator, mediantibus malis & superstitiosis, quibus diabolus vtitur vt instrumento. Et si aliquando homines generantur qui mira agunt, sicut recitat Albertus in præfato Libro de Motibus animalium de duobus geminis suo tempore in Germania natis, quòd vbicumque portabantur ad seras, aperiebantur: & quòd

quòd vnus habuit in dextro latere hoc, frater eius in ſiniſtro: rarò tamen contingit, & qualiter fit, per venerabilem Albertum declaratur, qui ad longum de hac materia ibidem diſputat in De motibus animalium.

CAPVT XIII.

Quòd ſculpturæ lapidum ad aſpectus aſtrorum ſunt prohibitæ: & quòd imagines ſculptæ ad aſpectus aſtrorum non poſſunt loqui. Inſuper de pygmæis & pſittaco aue quæ loquuntur quo modo intelligantur.

De ſculpturis lapidum aliqui ſe intromittentes, proculdubiò errores periculoſos quandoque non euadunt. Vnde ſciendum, quòd de eiuſmodi ſculpturis ad longum determinat hic venerabilis Albertus in ſuo Libro Mineralium, reprobando primò errorem illorum qui dixerunt, lapides habere animas, eò quòd mirabilia quandoque operantur per lapides. Et quamuis ſecundùm ipſum in præfato Libro ſculptura

ptura lapidum à ſapientibus ſit tradita qualiter fiat, ſicut & de Moyſe Petrus Comeſtor in Scholaſtica Hiſtoria circa ſecundum Capitulum Exodi, recitat quòd fecerit annulos recordationis & obliuionis per artem, nulla ſuperſtitione admixta: Albertus tamen difficultatem artis illius oſtendit in libro Mineralium, & poſteà adiungit ſic dicens de hac arte: *Hæc autem pauci obſeruant, & pauciores obſeruare ſciunt: & dum ſine ſcientia vtuntur ad opus artis imaginum, propter fallaciam ſuæ operationis credunt fallere ſcientiam, & contemptibilem reddunt eamdem.* Et dato quòd artem aliquis ſciret, quemadmodum & Moyſes: non tamen licet Chriſtianis huiuſmodi imagines per hanc artem facere, vt patet per Albertum in ſecundo ſcripto ſuo, diſtinctione ſeptima, quæſtione quarta; vbi dicit hanc artem eſſe prohibitam, & ideò eſſe malam, quia inclinans eſt ad idololatriam per numen quod creditur eſſe in ſtellis; & quia non ſunt inuentæ imagines huius, niſi ad vana vel mala, ſicut ad mulieres ſeducendas, vel feras aperiendas, vel naues immobilitandas, vel terrores inducendos,

dos, & huiuſmodi. hæc Albertus: qui tibi in libro Mineralium difficultatem artis oſtendit & dicit, quòd omnes ſuo tempore, qui ſe de huiuſmodi ſculpturis noſſe dicebant aliquid, omnia abuſiuè intelligebant. Et ſi te artis difficultas non prohibet à talium opere, retrahat te prohibitio Eccleſiæ, & quia ad mala vel vana eſt hæc ars ordinata. Nec te moueat dictum ſancti Thomæ in tertio libro Contra Gentiles cap. xc. vbi ſic ait: *Manifeſtum eſt enim, quòd etiam inanimata corpora quaſdam vires & efficacias à cæleſtibus corporibus conſequuntur, & etiam præter ea quæ ad qualitates actiuas & paſſiuas elementorum conſequuntur; quas etiam non eſt dubium cæleſtibus corporibus eſſe ſubiectas: ſicut quòd magnes attrahit ferrum, habet ex virtute cæleſtis corporis, & lapides quidam & herbæ alias occultas virtutes.* Hæc Thomas: qui rurſum in eodem libro Contra Gentiles cap. CIII. circa finem ita ait: *Quia vero figuræ in artificialibus ſunt quaſi formæ ſpecificæ, poteſt aliquis dicere, quòd nihil prohibet, quin conſtitutionem figuræ, quæ dat ſpeciem imagini, conſequatur aliqua virtus ex influentia cæleſti; non ſecundùm*

dùm quod figura eſt, ſed ſecundùm quod cauſat ſpeciem artificiati, quod adipiſcitur virtutem ex ſtellis. hæc ille: qui iterùm in tertio Contra Gentiles cap. 11. de ſimulachris dicens, quòd *non eſt in ipſis ſpiritus, ſed ſunt opera manum hominum;* ita addidit, dicens: *Non videtur autem omnino negandum quin in prædictis ſimulachris ex virtute cæleſtium corporum aliquid virtutis eſſe poſſit, ad illos tamen ſolos effectus quos virtute cæleſtium corporum aliqua inferiora corpora habere poßunt.* hæc omnia beatus Thomas. Qualiter autem hæ ſententiæ ſancti Thomæ intelligantur per venerabilem dominum Albertum, pleniùs exponitur in præfato libro Mineralium, & ſimiliter in ſua Poſtilla ſuper Hieronymum cap. x. de quibus hìc nihil pono cauſa breuitatis.

Notandum inſuper eſt, quòd licet huiuſmodi ſculpturæ imaginum in lapidibus mirabiles virtutes habeant, non ſunt tamen imagines Aſtronomicæ, de quibus ſuperiùs dictum eſt, & per Albertum ſunt reprobatæ: quamuis & iſtæ, de quibus iam ſermo eſt, ad aſpectus aſtrorum fiant, longè tamen

alius

alius modus eſt ab illo quo fiant Aſtronomicæ. Sic ergo patet ex Alberti doctrina, quid de iſtis ſculpturis eſt tenendum.

Hîc etiam reprobanda eſt ex Alberti verbis quorumdam ſtultitia, qui dicere præſumunt cum Nigromanticis, quòd quædam imagines fieri poſſunt per artem ita artificialiter quòd loquantur voce humana; quod abſurdiſſimum eſt. Vnde venerabilis Albertus in ſecundo De anima ſic ait: *Vox non eſt niſi habentis intellectum concipientem intentiones rerum, & ideò ad exprimendum conceptum format vocem.* hæc ille: qui rurſus in De animalibus libro XIX. cap. VIII. ait ſic: *Soli homini natura dedit virtutem vtendi voce articulata & litterata, quæ ſermo vocatur: modi enim ſermonis non fiunt niſi in voce.* hæc Albertus. Vnde cùm intellectus à ſolo Deo creatur, nec in aliquo organo corporeo ſit, ſecundùm eumdem Albertum in multis locis; profectò conſtat, nullo modo ſimulachris vel imaginibus, quæ opera manuum hominum ſunt, à cæleſtibus corporibus intellectiuam potentiam poſſe dari. Nec valet ſi quis in contrarium allegare volue-

voluerit de psittaco, quæ est auis Indiæ; qui adeò perfectè humana voce loquitur, vt si ipsam auem non videris, hominem loqui putes. Et illud, quòd dum psittacus auis Leoni Papæ pro encænio à quodam mitteretur, in via constitutus inter manus ferentis, huiusmodi vocem replicaret, *Vado ad Papam, ad Papam vado.* Vel etiam illud quòd de Carolo Magno scribitur, videlicet, cùm idem Carolus tantùm Rex Galliæ esset, & errans per deserta Græciæ, obuiæ essent aues psittaci, & quasi Græca lingua salutauerint eum clamantes, *Imperator vale*; factúmque est vt posteà fieret Romanorum Imperator, ac si cuiusdam Prophetiæ enuntiatione euentus sit subsecutus. Hæc si obiicere quis voluerit replicando, iam audiat Alberti sententiam vt resipiscat ab errore: ait enim hic venerabilis noster Albertus in secundo De anima, de voce sic prosequens: *Animalia,* inquit, *plurium effectuum, sunt plurium sonorum, & quæ leuioris sunt complexionis; & ideò sunt plurium garrituum quàm gressibilia; & illa quæ inter aues sunt latioris linguæ & melioris memoriæ, magis imitantur locutionem*

nem

nem & ſonos ceteros, quos audiunt: & licet bruta habent imaginationem, tamen non mouentur ab ipſis imaginatis ſecundùm rationem imaginatorum, ſed à natura; & ideò alia ſimiliter operantur. hæc Albertus: qui rurſus in præfato de Animalibus libro XXIII. ſic dicit: *Pſittacus auis latam linguam habet, & ideò optimè format voces articulatas quando à iuuentute didicit. Amat hæc auis loqui cum pueris, & ab illis omnis auis faciliùs addiſcit loqui.* hæc ille. Non ergo mirum, ſi auis pſittacus portatus ad Papam Leonem, à ſe deferente in via ſit edoctus talem vocem replicare; vel fortè antè ab illo qui miſit auem Papæ, eſt inſtructus tale aliquid cantitare, & iam portatus in via, ex conſuetudine huius vocem replicauit. Aues verò obuiæ Carolo, diuino iuſſu poterant, ſi Deus voluit, ita ſalutare ipſum qui futurus eſſet Imperator; ſicut aſina Balaam Deo iubente eſt locuta, vt ille qui prohibentis Dei vocem, ne malediceret populo Iſraël, inſipienter contempſit, tamquam iumento inſipientior, à beſtia miraculosè loquente ſine intellectu corriperetur. Ait namque Petrus Apoſtolus in ſua Canonica

nonica secunda cap. 11. *Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ insipientiam.* Sic pari modo congruum fuit, vt Deus salutationis oraculum per auem industriam à natura, miraculosè transmitteret Carolo Regi, qui Dei Ecclesiam ab hostium tumultu magnificè defenderat, & neminem simoniaca labe corruptum permiserat Ecclesiasticum regimen assumere: ait namque Papa Gregorius Sextus ita de eodem Carolo: *Erat animus Caroli inuictus aduersus auaritiam, nec facilè tunc inuenisset aditum aliquis, nisi intrasset per ostium.* Vel certè si non fuit miraculosa hæc salutatio, euentu accidit modò. Auis fortè psittacus priùs capta, & habita in curia Imperatoris Græciæ, sic ibidem edocta vociferari consueuerat: iam autem facta libera casu aliquo, alijs auibus sui generis est iuncta, quæ vtique addiscere idem poterant cantitare ab illa, sicut hæc priùs didicit; & sic casu erranti Regi obuiantes, consueto more promebant, *Imperator vale.* Narrat namque ipse Albertus in

in xxiii. de Animalibus, quòd grues volant vltra Æquinoctialem vnde Nilus fluit, & ibi conueniunt cum pygmæis cubitalibus figuram & loquelam hominum imitantibus in pugnam. De quibus pygmæis iterùm idem Albertus in quarto de Animalibus cap. 11. dicit, quòd *locutio non eſt niſi hominis, licet aliquo modo etiam conueniat animalibus, quæ quamdam affinitatem & ſimilitudinem habent ad homines, ſicut quibuſdam generibus ſimiarum, vt pygmæis, qui tantùm aliqua loquuntur, ſed non ex intellectu, ſed imaginatione.* hæc Albertus.

Hîc iam audiſti Alberti teſtimonio, pygmæos non eſſe homines, ſed de genere ſimiarum, quos etiam negat habere intellectum. Sed quòd huiuſmodi monſtra ſint quæ loquuntur aliqua voce hominis, idem Albertus experimento probat: dicit enim in ſecundo libro de Animalibus cap. iv. ſic: *Fidem facit mihi de illis monſtris, de quibus multi ſcribunt hoc, quod accidit ante iſtud tempus in partibus Saxoniæ verſus Daciam, vbi maſculus & femina ſicut homines capti fuerunt piloſi: ex quibus maſculus didicit*

ingredi super duos pedes; & domesticatum fuit ita vt loqueretur voce humana, sed valdè imperfecta verba & pauca: nec tamen verecundiam de turpibus habuit actibus, sicut de egestione, & libidine, & alijs de quibus nobis verecundia est. Femina autem interfecta fuit à venatoribus. hæc Albertus.

Cùm ergo sic sit, quædam monstra esse quæ loquuntur sine intellectu aliqua voce humana, auesque reperiri quę loquelam addiscunt, & imitantur loquendo; profectò nulli dubium quin Carolo obuiantes aues ita vel aliter edoctæ, salutationis oraculum poterant eloqui. Hæc contra Nigromanticos & Horoscopos qui statuas fabricant, quas in possessionem spirituum malorum mittunt, per quos responsa recipiunt, dicta sufficiant. Tales Nigromantici fuerunt Socrates, Hermes, & etiam Gerbertus, qui ab aliquibus nominatur Gilbertus vel Gililbertus, & posteà factus fuit auxilio diaboli Papa, nominatus Siluester Secundus; de quo multa scribit Vincentius in secunda Parte Speculi historialis vigesimoquinto libro cap. XCVIII. Quicumque ergo tales sequun-

ſequuntur, idololatræ peſſimi ſunt; & ſi ſuos errores defendere nituntur, per venerabilis Alberti doctrinā multipliciter damnantur, vt patuit. Cùm enim Albertus in De lapidibus damnat Democritum & alios, dicentes omne elementatum habere animam; qui etiam dicunt, ipſas animas eſſe cauſas generationis lapidum, & animam eſſe in lapide: profectò conſtat & damnatam eſſe iſtorum Nigromanticorum ſtultitiam, dicentium ſtatuam lapideam poſſe loqui, cùm propriè loqui conuenit homini; & impropriè ſine intellectu quibuſdam brutis, de quibus patuit ſuperiùs. Ait enim Albertus in De lapidibus ſic: *Anima non eſt in lapidibus, ſed in vegetabilibus primùm inuenitur*; *nullam enim habent lapides compoſitionem congruam, cùm nec alimento nec ſenſu vtantur, neque omnino vita ſecundùm aliquem vitæ actum: dicere autem propter ſolam generationem animam eſſe in lapidibus, non benè ſe habet, eò quòd hæc generatio non eſt ſecundùm generationes animatorum vegetabilium, vel animalium ſenſibilium; hæc enim omnia videmus ex ſeminibus ſuis proferre ſuæ ſpeciei generata;*

rata; *lapis autem nihil horum facit omnino: ſed nec videmus omnino lapidem ex lapide generari, ſed videmus vnumquemque lapidem generari ex cauſa aliqua quæ in loco eſt ſuæ generationis.* hæc Albertus.

Taceant ergo Horoſcopi, qui ſuæ veſaniæ iam audierunt correptionem, quia natura non dedit lapidi animam. Qualiter ergo credendum eſt, eos poſſe facere quod natura negauit? loquitur ergo diabolus per huiuſmodi ſtatuas. cuius ſignum eſt, quia ipſi tales imagines in loco mundo ſeruant, & preces porrigunt, & ſic reſponſa recipiunt; quæ vtique fieri non poſſunt niſi per intellectualem creaturam, puta ſpiritum immundum. Et hunc modum imaginum venerabilis Albertus adſcribit Nigromanticis, dicitque eſſe idololatriam peſſimam, & longè debere eſſe à quolibet Chriſtiano, vt ſuperiùs iam patuit ex Speculo allegato.

CAPVT XIV.

Contra Aſtronomos excedentes in arte Aſtronomiæ, & quòd ſint parum litterati: gaudeant ferè omnes deceptionibus.

CONTRA Aſtronomos nimis excedentes in ſua arte, in multis locis venerabilis Albertus diſputat & reprehendit; de quibus omnibus vnam ſententiam placet adducere. ait namque in De ſomno & vigilia de Aſtronomis ſic: *Omne enim ferè tale genus hominum deceptionibus gaudet, & parum litterati exiſtentes, putant neceſſarium eſſe quod contingens eſt, & pronuntiant tamquam abſque impedimento futurum aliquid: & cùm non euenit, faciunt ſcientias vileſcere in conſpectu hominum imperitorum, cùm defectus non ſit in ſcientia, ſed potiùs in eis qui abutuntur ea. Propter quod etiam Ptolemæus ſapiens dicit, non eſſe iudicandum niſi valdè generaliter & cum proteſtatione cauta; quòd ſtellæ ea quæ faciunt, faciunt per aliud & per accidens, ex quibus multa in ſignatis occurrunt impedimenta:*

menta: frustrà enim ponetur studium ad scientias vaticinantes, si ea quæ futura præuidentur, impediri non possent: ad hoc enim præuidentur vt mala impediantur, & bona expediantur ad actum, sicut faciunt Medicorum periti in suis prognosticationibus. hęc Albertus. Hanc iam præfatam sententiam & in aliis locis dicit quoad prognosticationes ex Physiognomia, ex complexione, ex somnijs, quæ necessitatem nullam inducunt, sed etiam frequenter fallunt: de quibus omnibus causa breuitatis transeo.

CAPVT XV.

Quid de Interrogationibus sciendum sit.

EST etiam in Astronomia pars Interrogationum, per quas de futuris coniecturaliter iudicant Astronomi; & licet nihil adiungit de Superstitione, hæc pars quibusdam tamen posset videri friuola esse, & ideò ipse Albertus determinatiuè noluit loqui de ipsis, sed disputatiuè tantùm in Speculo præfato, quasi diceret: Pro vtraque parte opinor.

opinor. Quare ipse etiam in eodem Speculo, antequam disputationem facit de ipsis, præmisit vnam protestationem, sic inquiens: *Protestor tamen, si aliquid dicam quo velim vti in defensione, quoniam determinando non dico, sed potiùs opponendo, vel excipiendo, vel ad determinationis animaduersionem determinatoris ingenium prouocando.* hæc Albertus de Interrogationibus. Quales autem sunt huiusmodi Interrogationes, pleniùs habetur ab ipso Albumasar & Hali Astronomis. Hoc autem sciendum, quòd sanctus Thomas de huiusmodi in suis scriptis nullibi mentionem facit reprobando vel impugnando.

CAPVT XVI.

Qualiter Albertus Alchimistas reprehendit, & deceptiones appellat.

ALCHIMICOS vel Alchimistas, qui multas fraudes committunt in proximos sua arte, & periculum animæ suæ peccando mortaliter non euadunt, venerabilis Albertus multipliciter reprehendit, & falsas eorum opiniones &

deceptiones denudat in ſuo libro Mineralium; de quibus hîc narrare longum eſt, & ideò aliqua breuiter de iis ſunt notanda, vt aliqualiter innoteſcat per Alberti doctrinam Alchimicorum fallacia. Ait namque ipſe Albertus in præfato libro Mineralium ſic: *Poſſumus conſiderare vtrùm verum ſit quod quidam Ariſtotelem dicunt dixiſſe, cùm ſecundùm rei veritatem dictum ſit Auicennæ, ſcilicet: Sciant artifices Alchimiæ, ſpecies permutari non poſſe, ſed ſimilia illis facere poſſunt, vt tingere donec ſit multum ſimile argento vel auro, vel cui voluerint corpori. Ceterùm quòd differentia ſpecifica aliquo tollatur ingenio, non credo poſſibile; ſed ſpoliatio accidentium non eſt impoſſibilis, vel ſaltem diminutio eorum.* hæc Albertus. Vnde conſequenter Albertus ibidem ponit duos modos Alchimicorum: vnum dicit eſſe deceptorium & ſophiſticum; de alio verò opinatiuè loquitur, non confirmando ipſum tamquam verum. vnde de illo ſecundo modo ſic ait ibidem: *Non permutabuntur ſpecies, niſi fortè in primam naturam & materiam metallorum reducantur, & ſic iuuamine artis deducantur in ſpeciem metalli*

talli quod voluerint. Sed tunc oportebit nos dicere, quòd Alchimicorum periti operantur sicut periti Medicorum: Medici enim periti per medicinas purgatiuas purgant materias corruptas, & facilè corruptibiles, & impedientes sanitatem, qui est finis intentus à Medico; & posteà per confortantia naturam, iuuant virtutem naturalem, vt digerendo sanitatem inducat: ita enim proculdubiò sanitas effectus erit naturæ effectiuè, & artis organicè & instrumentaliter. Per omnem autem eumdem modum dicemus operari Alchimicorum peritos in transmutatione metallorum: primò enim quidam purgant multùm materiam argenti viui & sulphuris quam inesse videmus metallis: qua purgata confortabūt virtutes materiæ quæ insunt ei elementales & cælestes, ad proportionem mixtionis metalli quod intendunt ex materia educere, & tunc ipsa natura operatur, & non ars, nec organicè iuuando & expediendo; & sic verum aurum & verum argentum educere & facere videntur hæc Albertus de vno modo, qui probabilior & verior videtur, tantùm vt audis opinatiuè loquitur: de alio autem, sophistico videlicet, ita subiungit,

dicens: *Qui autem per alba albificant,& per citrina citrinant,manente ſpecie metalli prioris,in materia proculdubiò deceptiones ſunt, & verum aurum & verum argentum non faciunt. Et hoc modo ferè omnes vel in toto vel in parte procedunt: propter quod ego experiri feci,quòd aurum Alchimicum, quod ad me deuenit, & ſimiliter argentum, poſtquam ſex vel ſeptem ignes ſuſtinuerit, ſtatim ampliùs ignitum conſumitur & perditur, & ad fæcem quaſi reuertitur.* hæc omnia verba Alberti.

Notandum proinde,quòd ipſe idem venerabilis Albertus in eodem Libro Mineralium, Alchimicorum multos errores deſtruit. Nam primum,videlicet quòd dicunt tantùm eſſe vnam ſpeciem metalli,ſcilicet aurum,& alia metalla ægritudines accidentales; & ideò ex plumbo promittunt ſe poſſe facere aurum: item ſecundum, ſcilicet quòd dicunt ex lapidibus poſſe fieri aurum & ex calce, ſimiliter tamquam errores damnat. vnde conſequenter ipſum Caleſtenem, quem dicit fuiſſe præcipuum in hac arte,non ſuſtinet; & addit de experimentis Alchimicorũ, ſic inquiens: *Propter experimenta Alchimicorum debitè*

bitè discutienda, plurimos inspexi Libros Alchimicos, & inueni Libros illos absque Syllogismo & probatione tantùm expertis inniti, & celare intentionem eorum per verba metaphora; quod numquam fuit consuetudo Philosophiæ. hæc Albertus de Alchimistis. Item de modo viciniori naturæ in Alchimia, de quo superiùs iam notatum est, & disputatiuè loquebatur sicut patuit, adhuc clariùs loquitur ipse Albertus, nec ipsum sustinet tamquam verum; & ideò de ipso post alia sic ait: *Etsi aliquando per sapientium industriam per calidum ignis contingit extrahi à plumbo per euaporationem superfluum humidum aqueum, & aduri in ipso totum pingue oleagineum, & depurari per subtiliationem id quod est in ipso terreum sulphuratum, & commisceri vaporabiliter in aliquo præfocando continente vaporem terreum cum aqueo radicali, optima & fortissima commixtione, & ex vi caloris conuerti humidum ad colorem citrinum, & tunc habere splendorem & colorem auri: hæc enim via artis simillima est viæ naturæ, vt superiùs notatum est: sed licet hoc sit verum, tamen non propter hoc aurum dicitur esse in profundo: quia etiam dato*

quòd hoc ſit aurum quod ſic effulget ex plumbo;tamen iam ſcimus,quòd iſta transſmutationes corrumpunt in toto plumbum: cum plumbi igitur ſpecie numquam ſimul influit auri ſpecies in materia eadem. Hoc autem multò magis verum videbitur, quando non eſt probatum,hoc quod ſic educitur de plumbo, eſſe aurum, ſed fortè aliquid auro ſimile, non aurum; eò quòd ſola ars non poteſt dare formam ſubſtantialem. Prætereà, Alchimiſtam vix vel numquam inuenimus ſic,vt dictum eſt,in toto operantem, ſed potius citrino elixir colorat in auri ſpeciem, & albo elixir colorat in argenti ſimilitudinem, ſtudens vt color in igne remaneat,& penetret per totum metallum,ſicut ſpiritualis ſubſtantia in Miſſa. Materia metalli & hoc modo poteſt induci falſus color, ſubſtantia metalli remanente. hæc Albertus.

Notandum conſequenter,quòd Alchimici multas falſas habent opiniones;puta,dicẽtes,quòd lapis ſit materia metalli, ſimiliter & calx atque cineres, ex quibus dicunt ſe poſſe facere aurum. Sed hæc omnia potenter ipſe venerabilis Albertus reprobat, oſtendens etiam vnde decipiuntur, ſoluitque eorum argumenta

gumenta quibus se defendunt: vnde postquam destruxit opiniones cuiusdam Alchimici Gylgil nomine, qui huiusmodi fuit opinionis, sic adiecit Albertus in præfato Libro Mineralium post solutiones argumentorum ipsius Gylgil: *Hæc autē inconuenienter & stultè dicta sunt, quoniam iste Gylgil Metaphysicus & non Physicus fuit; sed de Metaphysica sua in Alchimia præsumens, præsumpsit mentiri de Metaphysicis.* hæc verba Alberti contra Gylgil & alios Alchimicos. Item adhuc in secundo scripto, distinctione tertia, ipse Albertus contra Alchimicos sic inquit: *Alchimici non dant formas substantiales; cuius signum est, quia in talibus operatis non inueniuntur proprietates consequentes speciem: vnde aurum Alchimicum non lætificat cor, & sapphirus Alchimicus non curat anthracem, & carbunculus Alchimicus non fugat venenum vaporabile in aëre; & iterùm in igne omnia ista plus consumuntur, & non durant ita diu sicut naturalia illius speciei.* hæc Albertus.

Hæc, licet pauca, ex Alberti Libro Mineralium extraxi, vbi & alia multa ponuntur, ex quibus deceptores Alchi-

mici deprehenduntur; ſicut qualiter probatur ad ſenſum quòd aurum Alchimicum non eſt verum aurum, ſed aliquam habet ſimilitudinem. Sed omnia iſta ibi pleniùs reperiuntur, quæ hîc cauſa breuitatis omiſi; placuit tamen iſta iam præfata, licet pauca, inſerere huic Legendæ, vt innoteſcat omnibus, quid Albertus de Alchimiſtis & eorum arte teneat. Et vt quorumdam fatuorum ora claudantur per iſta qui fortè Libros de Alchimia conſcriptos habent, quorum Auctores dum ignorant, Alberto mendaciter adſcribere non formidant: ſicut eſt quidam Liber intitulatus, *Semita recta* vel *directa*, cuius Prologus ſic incipit: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt*, &c. primùm verò Capitulum ſic incipit: *Alchimia eſt ars ab Alchimo inuenta. Alchimia enim grama maſſa Latinè dicitur*, &c. Hunc Librum quidam Alchimici putant eſſe Alberti; ſed falſiſſimum eſt, quia ipſe Albertus iſtum Librum Semitæ rectæ cum ſuis opinionibus damnat, eò quòd omnino contrarium ſentit ijs quæ in Libro Semitæ rectæ dicuntur: quia Liber Semitæ rectæ ſub metaphoricis locutionibus

bus & signis ignotis abscondit scientiam Alchimiæ, nec aliquid probat Syllogismo. Item promittit se posse facere ex lapide aurum, & ex alijs multis. Item approbat omnia quæ Albertus reprobat, & stulta dicta esse dicit. Quare si inspexeris Librum Mineralium Alberti, & etiam Librum Semitæ rectę, dices: Iste Liber Mineralium damnat & elidit Librum Semitæ rectæ specialissimè, nec habet quidquam de stilo Alberti. & ergo qui hoc scire cupiunt, legant Librum vtrumque, & intelligent me verum dixisse. Multi etiam in chartulis suis quædam colligentes, mirabilia quandoque magnis viris adscribunt, vt suas fraudes abscondant; & fide dignos se faciant, cùm mala machinantur. Et consequenter notandum est, quòd sicut Liber Semitæ rectæ non est Alberti, vt iam probatum est; sic pariformiter Tractatus ille, qui intitulatur, *De secretis mulierum*, minimè Alberto est adscribendus: & non nisi stulti & ignari contrarium possunt opinari, quia manifestissimè Tractatus ipse hoc notum facit. Vnde notandum est, quòd Tractatus de Secretis mulierum continet &

Textum

Textum & Commentum, ſicut patet ad oculum; quia frequenter ſic ibi habetur: *Hic Auctor proſequitur formationem fetus.* vel ſic: *Hic Auctor mouet quatuor quæſtiones.* & his ſimilia. Et ſi benè inſpexeris Librum tam quoad Textum quàm quoad Commentum, tunc videbis quòd neutrum Alberti ſit, ſi Alberti tamen Libros vmquam legiſti; quia ſtilus & modus procedendi de Albertina eloquentia habet nihil. Item ex alio conuincitur quia Liber iſte minimè ſit Alberti, quia multoties allegat Albertum in hac vel ſimili forma, ſic dicens: *Huius rationem dicit Albertus, quia diluuium,*&c. Item ſic: *Aduertendum eſt, quòd quatuor ſunt ſtatus lunæ ſecundùm Albertum in Tractatu de Statu ſolis,*&c. & his ſimiles allegationes tam in Textu quàm in Commento inuenies; ex quibus cognoſcitur quòd falſum gerit titulum ſi Alberto adſcribitur: cur enim diceret allegando, Albertus hoc vel illud dicit, ſi ipſe idem Librum compoſuiſſet? Ex multis alijs probare poſſem falſitatem tituli, ſi ad finem non feſtinarem; ſed hæc ſufficiant: prudentes namque viri ſine aliqua difficultate ſciunt,

sciunt, quòd Liber de Secretis mulierum Alberto nullo modo est adscribendus.

CAPVT XVII.

Quàm vtile sit scire naturalia & occulta in rerum natura, & quòd talium Scriptores laudandi sunt.

QVOD autem Albertus etiam laudandus sit de hoc quòd præ alijs in naturalibus multa scripsit, vt de Lapidibus, de Animalibus, & huiusmodi, patet ex verbis beati Hieronymi, qui talium rerum Scriptores commendat, tamquam vtiles in hac etiam parte multùm extiterint. vnde super Ieremiam idem Hieronymus sic inquit: *De natura verò lapidum siue gemmarum, & Græcorum plurimi & Latinorum scripserunt, è quibus sanctæ memoriæ Episcopus Epiphanius vnus fuit, qui nobis ingenij & eruditionis suæ volumen insigne reliquit. Plinius quoque Secundus Orator & Philosophus extitit, qui etiam in Opere pulcherrimo Naturalis Historiæ librum trigesimum septimum, qui & extremus est, lapidum*

dum atque gemmarum disputatione compleuit. hæc Hieronymus. Sed & Vsuardus Monachus & Sacerdos, in suo Martyrologio quod ad Carolum misit vel scripsit, ita de quodam Sancto scribit: *Anatolius Episcopus non solùm religiosis viris, sed & Philosophis admiranda scripta reliquit, cuius festum celebratur quinto Nonas Iulij*. Item Augustinus in De vita Christiana similiter tales Scriptores in naturalibus commendat, & non paruam dicit huiusmodi fecisse vtilitatem Ecclesiæ Dei. vnde in secundo Libro ita loquitur: *Rerũ autem ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cùm ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarúmve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicuius gratiâ ponuntur*. hæc Augustinus: qui consequenter commendat in eodem Libro eos qui vel nomina Hebraica exposuerunt, vel de Temporibus scripserunt, sicut Eusebium; imò de omnibus Artibus ipse Augustinus sic prosequitur laudans talium Scriptores vel Expositores, vt de Numeris, de Dialecticis & Sophisticis locutionibus, & Locis terrarum, de

Anima-

Animalibus, Herbis atque Arboribus; quia huiusmodi Doctores harum rerum, ait Augustinus, benignam operam fraternæ vtilitati impenderunt. redarguitque idem Sanctus eos, qui talia scripta à venerabilibus viris edita abscondere nituntur. Item Frater Thomas Brabantinus, Alberti discipulus, in Libro quem edidit de Naturis rerum, dicit, quòd scire naturalium rerum naturas vtilissimum est. vnde ipse idem in eodem Libro sic ait: *Nunc ergo quantum hoc opus prosit, & quantam vtilitatem præstare possit ijs qui verbo prædicationis volunt insistere, ad plenum scire hominem æstimo neminem, nisi qui in profundioribus diuinæ sapientiæ dederit intellectum.* hæc ille. Quàm vtile autem fuerit etiam de Alchimicis scire, de quibus iam parum ex Alberto audisti, puto, sapientes aduertunt, cùm ex huiusmodi arte pericula animarum & corporum eueniunt. Animarum verò in hoc, quia deceptores pænè omnes sunt Alchimistæ, iuxta Alberti sententiam: & cui dubium quin mortaliter peccant in vendendo aurum suum Alchimicum pro vero? tenentur sine dubio in foro con-

ſcientiæ ſatisfacere ijs quos decipiunt. Corporum autem pericula ex hac arte poſſunt ſequi, eò quòd aurum multoties in vſus Medicinæ artis pro ſanitate inducenda conſueuit ſumi. Cùm igitur aurum Alchimicum non ſanat, imò languorem auget, & vulnus vulneri addit; profectò poteſt ab imperito, qui non nouit diſtantiam inter aurum naturale & Alchimicum, quandoque aſſumi in medicinis; & hæc abſque dubio medicina intentum & finem Medici, quæ eſt ſanitas, non inducit. Perniciosè igitur ſcribunt quidam in periculum animarum & corporum de Alchimia, eamdem ſimpliciter approbantes; ſicut quidam Doctores de Caſibus ſcribentes, quos tamen nominare nolo, Alchimiſtis deceptoribus dextras quodammodò dantes, dicunt non eſſe inconueniens, ex lapidibus pretioſis & herbis, in quibus eſt mirabilis virtus, aurum fieri vel argentum. Sed iſti quàm falsè dixerunt in caſibus conſcientiæ, & contra Philoſophiæ veritatem, ex ſuperiùs notatis Alberti verbis notiſſimum eſt, cùm ipſe etiam dixit de modo artis qui ſimillimus eſt naturæ; quòd ſi educa-

educatur aliquid quod habet ſimilitudinem auri, adhuc tamen non eſt probatum̄, quod propterea ſit verum aurum hoc quòd ſic fulget. Sciant igitur Confeſſores qualiter informent Alchimiſtas, vel venditores auri Alchimici, ſimiliter & lapidum Alchimicorum: propterea enim huic Legendæ hæc inſerere placuit, vt eò certior eſſet quilibet quid ſentire deberet de Alchimiſtis, quò à Doctore maiori & magis experto ſententiam diffinitiuam & veriorem, puta ab Alberto, audiſſet.

CAPVT XVIII.

Quòd ſcire naturalia, etiam impudica, vtile ſit & neceſſarium.

SED dum quædam in naturalibus videantur minùs pudica, ſtulti quidam & ignari putant huiuſmodi non eſſe ſcribenda. Sed ipſorum error increpandus eſt per hæc quæ ſubiungo, ne putent talia in De animalibus & alijs Libris Theologicis ab Alberto inutiliter eſſe poſita; cùm ea ſcire etiam Theologis ſit neceſſarium, tam pro fidei defenſione

fensione contra perfidos, quàm etiam pro correctione indisciplinatorum morum, & periculorum tam animæ quàm corporis euasione. Vnde ipse Albertus circa illum Textum, *Ecce virgo concipiet*,&c. Isaiæ VII. Iudæorum argumenta, qui deprauare nituntur intellectum illius Textus, dissipat naturali ratione, quamuis carnalis videatur. Sic pariformiter in quarto Sententiarum, distinctione XXXI. quasi circa finem, vbi quęrit quando est in actu carnali vsus contra naturam, vel non; & quis modus magis & minùs contra naturam, pleniùs disputat rationibus naturalibus, conuincens illos qui quandoque excusare nituntur suas turpitudines, quasi non essent adeò turpes sicut sunt. Sed hæc omnia hîc ponere non est opus propter verecundiam: nam ipsemet Albertus in eodem loco fatetur, quòd talia sine verecundia, licet vtiliter, in disputatione non possint dici: vnde cùm post proposita argumenta ad solutionem venit, ita dicit ibidem ante responsionem: *Dicendum primò, quòd huiusmodi turpes quæstiones numquam tractari deberent, nisi illa cogerent monstra, quæ*
his

his temporibus in confessione audiuntur. hæc ille. Quin rursus ibidem etiam ad modicum antè inuenies, An licet actum carnalem in matrimonio exercere tempore impraegnationis; contra illos enim qui dicunt quòd sic, ipse Albertus in contrarium disputat, naturalem assignans rationē quare esset in periculum fetus, & præcipuè ante quatuor primos menses. Et hanc etiam rationem huic Operi necessarium inserere non est, sed Confessoribus, quibus hæc scienda sunt, relinquo vt inquirant. Item adhuc idem super Ezechielem cap. XVIII. circa illud, *Ad mulierem menstruatam non accesserit,* ponit an peccatum mortale sit sic vel sic accedere; & distinctiones aliquorum tamquam flans refutat: & quare Propheta hoc inter mortalia ponit, exponit; & qualiter verba Hieronymi & Augustini sunt intelligenda. Imò per scientiam naturalium, sicut ipse ibidem ponit & distinguit de triplici menstruo, & quòd ex duobus non fit generatio, sed ex tertio fieri potest, sed generantur inde membris truncati vel elephantici; hæc & multa ibidem reperies per ipsam quæ vtilissima sunt scien-

ſcienda, licet immunda ſint & carnalia. require, ibi pleniùs inuenies: hîc enim cauſa breuitatis omiſſa ſunt. Similia autem his poſſem enumerare carnalia ex libro de Animalibus ipſius, per quæ Confeſſor multis periculis poteſt obuiare tam animæ quàm corporis, & ideò neceſſariò ſunt ſcienda: ſcimus enim melius eſſe, turpium quęſtionum nodos ad ſubueniendum animabus Chriſti Sanguine redemptis poſſe ſoluere aut reddere ſuper huiuſmodi rationes, quàm curioſis ſe implicare opinionibus, quæ potiùs diſſenſiones & ſcandala quàm vtilitatem pariunt, vt plerique in Theologicis facere conſueuerunt doctrinis. Nam propter illarum ignorantiam vel incuriam dicitur per
Iſa. 5. Dominum: Periit populus meus, quia non habuit ſcientiam. Ad dirimendas
Eccli. 3. iſtas, ne in multis operibus eius ſimus curioſi, diuino admonemur oraculo: de his quia non curamus, in iſtis verò quia nimiùm inſiſtimus, rationem ſumus reddituri. Inde eſt quòd Frater Thomas Brabantinus, Alberti diſcipulus, Magiſtrum ſuum ſequens, non pertimuit carnalia ponere in ſuo Libro de Natu-

Naturis rerum, vt ſubueniret periculis animarum & corporum: in hoc enim Libro idem Frater Thomas ponit totam artem obſtetricandi in primo libro partiali. Vnde autem habuit idem Frater de hac arte notitiam, & quare Libro ſuo inſeruit, & quòd paucæ ſunt obſtetrices peritæ, ſuis verbis oſtendit ibidem, cùm ſic dicit: *Hinc ſequitur de partu & arte obſtetricandi. In Libro Cleopatræ, quæ ſe vocari voluit Medicinam Reginarum, præcepit ipſa eadem Cleopatra filiæ ſuæ, ad quam Librum ſcripſit, vt nulli tam glorioſam rem facilè credat. Primò ergo dicendum eſt, quæ ſunt impedimenta partus. Obſeruandum eſt quidem ipſum præcipuè, ne ſit pariens verecunda, aut corpus habeat pendulũ, aut nimis gracile, vel multùm pingue.* hæc ille: qui rurſus poſtquam modos poſuit naſcendi, & obſtetricandi artem ex Libro Cleopatræ prædictæ, vt met teſtatur, ita ſubiunxit, dicens: *Hæc igitur Libro noſtro diligenter adiunximus propter periculum abortiuorum & ignorantiam obſtetricum; & optamus quòd omnes illi qui debent conſulere animalibus ſub libero arbitrio poſitis, ijs etiam quàm maximè per hanc artem*

H

tem consulant, qui ex suo iudicio & potestate arbitrij sibi subuenire minimè possunt, vt tenebras possint euadere sempiternas. Suademus ergo & volumus, vt discretiores aliqua conueniant obstetrices, & alias secretiùs instruant, atque per eas aliqua commodiùs instruantur. hæc suprà Thomas pręfatus. Qui iterùm ibidem, postquam posuit pericula in educendo puerum, ita subiungit, dicens: *Sed possunt huic periculo occurrere, illæ tamen quæ peritæ sunt. sed heu! paucæ inueniuntur, & ideò multi pueri abortiuntur, & non possunt nasci ad vitam, & propter hoc non renascuntur ad gloriam. Et ideò plangit Plinius: Feminis, inquit, sæpè abortum facientibus, quantum in parte hac multò infeliciores quàm feræ sumus.* hæc idem Frater Thomas.

Ecce, dum in præfato Libro de Naturis rerum composito à Fratre Thoma Brabantino Alberti discipulo Ars obstetricandi ponitur, & cùm idem Liber à nonnullis putatur esse Alberti, quia solent ipsum Alberti nomine intitulare; quidam ignari, vel peruersæ mentis, æmuli Ordinis Fratrum Prædicatorum, dicere solent, venerabilem Albertum

tum fuisse obstetricem, vel obstetricatorem: sic suum fortè mendacium confirmantes dicunt: Tanta scripsit de animalium generatione & secretis naturæ, atque de arte obstetricandi, necnon omnium membrorum internorum officiis; quid aliud dicendum est, nisi quia obstetrix fuit in iuuentute, vt harum rerum sibi experientiam vendicaret vsu continuo talis officij? Sed mentita est iniquitas sibi; fatuum enim & stultum est hoc de tanto viro æstimari. Sed isti fabulatores nobis respondeant ad hæc: Si ideò obstetrix fuit vel obstetricator, quia de secretis naturæ aliis Doctoribus copiosiùs scribit; vnde igitur illa scientia de ignotorum animalium, & venenatorum, feraliumque bestiarum generatione, conceptione, educatione, similibusque multis, quæ vtique magis occulta, & minùs benè in nostram possunt notitiam deuenire. Numquid artem obstetricandi, quoad singulas bestias, officio tali posset acquirere sibi, & alia quæ de animalium naturis conscribit? Sed numquid omnium herbarum, arborum & aromatum hic Albertus hortulanus fuit, quia naturas omnium

edocuit? Et vt omnia sub vno concludam articulo, numquid tot artium mechanicus pronuntiandus est, quot illarum hic Doctor scribendo enumerat? vtputa, lanifex, arator, agricola, venator, & nauta? nam de huiusmodi artibus Libros conscripsit. Numquid Augustinus, Hieronymus, beatus Thomas Aquinas, carnalium peccatorum & diuersarum specierum dicendi sunt actores, quia de immunditiis scribunt hominum peccatorum? Minimè. sed turpibus hominibus turpiùs loquor. Vnde, quæso, beato Bernardo, qui tantæ simplicitatis erat, vt oleum pro aqua biberet, & sagimen sæpè comederet pro butyro, hæc scientia de modo parturitionis humanæ? vt diceret vtique satis grossè in Sermone de Passione Domini, in hunc modum inquiens: *Vipereo more laceramus miseras matres, mirum quòd non laceramur & ipsi.* hæc Bernardus. Nũquid & cum mulieribus affuit quando tempus partus aduenit vt ista addisceret, qui illas à iuuentute vt latrones fugere consueuit? Cessent igitur imperiti & stulti à vanis suis cogitationibus, nec vltrà superuacuè loqui addant.

dant, ne fatui videantur. Hæc iam notata produnt, quare de artibus suspectis & Nigromantia notitiam habere voluit, & quàm vtiliter ipse nobis venenum & falsitates earum ostenderit. de quibus multa alia hîc possemus adducere, sed causa breuitatis sunt omissa, vt Legendam consequenter valeamus prosequi.

CAPVT XIX.

Quòd Albertus quotidie legit integrum Psalterium Dauidicum.

Eo autem tempore, vt præfatus sum, Alberto Coloniæ Lectore existente, postquam de Parisiis in Theologia Magister promotus venerat, doctrinarum fluenta, vtpote ex abundantiori fonte, in communi omnibus manabant. Non mirum, quia & ipse qui discipulis fons extitit, de fontibus Saluatoris, tamquam pelago inexhausto, copiosiùs replebatur: die enim ac nocte contemplationi vacans, Spiritus sancti susurrio afflatus dulciter, iugi oratione vitæ venam pulsando, aquam sapientiæ sa-

lutaris, quam auidè sitiebat, attraxit; quemadmodum Auctor Libri Apum sæpè nominatus testatur in secundo libro cap. vltimo, sub hac forma verborum dicens: *Vidi, & certissimè expertus sum, sicut auditor eius per multum tempus, quòd venerabilis ille Magister, Frater Albertus Ordinis Prædicatorum, multis annis ferè quotidie, cùm tamen in cathedra regeret, tantum de die ac noctè orationibus incumberet, vt Psalterium Dauidicum legeret, & interdum dictis Horis, Lectionibus, & Disputationibus terminatis, semper contemplationi diuinæ & meditationibus insudaret. Quid miri ergo, si talis homo supra hominem in scientia profecerit, qui tam sanctè, tam integrè in virtute profecit? De quo etiam dicimus, quòd miraculis multis claruit, quæ eius vitæ meritum demonstrant.* hæc de verbo ad verbum Auctor Libri Apum, Alberti discipulus. Ex quo notandum, quantæ affectionis fuerit Albertus, qui tam copiosè vltra debitum incessanter precis incensum voluit in ara cordis summo Deo offerre: vnde absque dubio factum arbitramur, non casu sed mentis suæ affectione, quòd tam sedulè suis in

dictis,

dictis, tamquam ructus quoſdam faciens ob plenitudinem deuotionis, de contemplatione, deuotione, ac oratione, ſicut pietatis amator, nos admonere curauit: vnde & dicta ſua ſingulariter magis quàm ceterorum modernorum ſcripta Doctorum affectum inflammant, quia abundantiſſimè Scripturæ ſacræ auctoritates combinando multiplicat. Inde & ipſam ſacram Theologiam ponit ſcientiam eſſe affectiuam, & quòd inquirit verum in re fruibili, non vt verum ſimpliciter, ſed vt ſummè beatificans, referens ad affectum vel intellectum affectiuum; allegans Apoſtolum ad Titum, qui dicit quòd eſt ſecundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis quæ ſecundùm pietatem eſt. id eſt, Theologia eſt cognitio veritatis, non vt veritatis ſimpliciter, ſed vt inclinatiua eſt ad pietatem. Quantum verò huic ſuæ doctrinæ concordat operatione, & alio oſtenditur, dum quatuor Sententiarum libros quoad ſingula contenta rememorando ſuccinctè ad modum orationum conſcripſit: necnon & Euangelia Dominicalia per circulum anni ſimili modo breuiùs

perstringendo exponens, in preces vertit, vt idem sit sacrorum verborum explanatio, & piæ mentis ad laudandum orandumque supplex deuotio. Sic pari modo totum de venerabili Sacramento quem edidit Tractatum, finiendo in vnam orationis formam redegit, ne verum quod docuit, sincera pietate careret. Insuper & Litaniam non suis limitibus finit esse restrictam, sed ampliando nomina Sanctorum, & vario ordine distinguens, singulares componit Orationes, non quidem verbis sed sententia magnas. Notificant igitur omnia ista iam præmissa, hunc virum Dei misericordia, & insolita multis spiritus deuotione, omne verum quod nouerat ad pietatis affectum, eò quòd in Domino delectabatur, ordinasse, iuxta propriæ sententiæ dictum, quo in quarto Sententiarum distinctione VII. nos instruit, sic inquiens: *Scire autem nihil facit vel parum ad virtutem; velle autem & operari, multum.*

CA-

CAPVT XX.

De Alberti deuotione ad venerabile Sacramentum, & de scriptis ipsius de eodem: & quòd Episcopatum coactus suscepit, atque voluntariè resignauit: sed & de eius simplicitate & paupertate in libris.

AD Dominicæ Incarnationis sacratissimum mysteriũ qua afficiebatur deuotione, non est nostro sermone euoluendum; magis verò sua propria ex doctrina perpenditur: nam in Tractatu quem de Mysterio Missæ composuit, & in Libro de Eucharistia innotescit omnibus, non communium hominum more illum fuisse locutum; sed tamquam inebriatus in cella vinaria nostræ redemptionis mysterium deuotiùs excellentiusque, quàm credi potest, exposuit; nec cuiusuis Doctoris in hac re Tractatus valet hominem in amorem diuinæ bonitatis, & ad regratiandum tantæ dignationi, vel etiam Missarum solemnia vt quis libentiùs

frequentet quotidiano officio, efficaciùs, si studiosè Alberti Librum præfatum perlegerit, allicere. Et reuerà, quantò diutiùs perscrutatus eumdem fueris, tantò secretiora & plura reperies: Liber namque idem totus nihil aliud est quàm mirabilis combinatio auctoritatum Scripturæ sacræ. Vnde Frater Bernardus in castris S. Vincentij, Ordinis Prædicatorum, qui contemporaneus venerabilis Alberti extitit, sicut met testatur in Libro suo, quem de Gestis Ordinis in sua ætate ad Magistrum Ordinis scripsit, sic inter alia de Alberto scripsit, dicens: *Dominus Frater Albertus Teutonicus, Episcopus Ratisponensis, maximus in Philosophicis & Diuinis. Hic multa & diuersa volumina dereliquit toti orbi, quæ ad expositionem sacræ Scripturæ & aliarum scientiarum scripsit, intellectu profunda, sensibus & sententiis alta: quorum numerum & nomina ponere esset longum. Circa finem verò dierum suorum Librum de Sacramento Altaris edidit, in quo euidenter ostendit & sinceritatem fidei suæ in Deum, & feruorem deuotionis ad diuinæ Incarnationis sacratissimum mysterium, & quæ excelle-*
bat

bat scientiam diuinarum Scripturarum. Episcopatum Ratisponensis Ecclesia coactus recepit; sed paulò pòst tamquam carbonem ardentem, manum adurentem, obtenta cessione reiecit, & ad paupertatē Ordinis rediit. hæc omnia Frater Bernardus præfatus in sua Chronica quam scripsit ad Magistrum Ordinis, videlicet Reuerendum Patrem Fratrem Emericum vel Aymericum. Et quamuis tam copiosè de Eucharistia in præfato Libro scripsit, non minor tamen in doctrina, de eadem scribens in Sententiis & Postilla, Doctoribus aliis, imò diffusior, vtpote deuotione plenus, inuenitur. Nec quidem ista suffecerant, nisi & alium Tractatum de Dominici Corporis & Sanguinis mysterio, vt deuotionem suam expleret, hic Pater venerabilis componendo superaddidisset; illum sanè Tractatum, qui pro themate in singulis sermonibus istud assumit, *Venite, comedite panem meum.* quamuis nonnulli ignari intitulant Tractatum illum nomine sancti Thomæ: quod vtique errori est adscribendum, quia ab Alberto est editus, & non à sancto Thoma: habemus enim in nostro Con-

uentu Colonienſi originalem librum, pro magna parte Alberti manu conſcriptum: idem namque Liber à quodam Fratre qui quandoque Alberto in ſcribendo ſubſeruiebat, in groſſa littera ſcriptus eſt; ſed in fine vltimi, Sermones aliqui manu Alberti ſunt ſcripti: ſicut & principium Sermonum, ita & in medio, multis in locis, nunc manus Fratris nunc Alberti alternatim ſibi ſuccedunt: quandoque etiam abraſa littera Fratris & aliter ab Alberto eſt ſcripta in eodem loco, quandoque verò in margine: nonnumquam vbi deerat ſpatium, ipſe Albertus ſchedulas ſcribendo, filo affixit eaſdem locis opportunis. In quibuſdam etiam locis ſuæ ſcripturæ folia indiſparia ceteris foliis inſeruit, ita vt totus Liber ſit deformis ob huiuſmodi variationem. Notatur nempe & in hoc ipſius Alberti ſimplicitas & amor paupertatis, cui de pretioſitate codicis, dum correctus eſſet, cura non fuit; vt meritò cum beato Hieronymo dicere poſſit, qui de propriis Libris dicebat in Prologo ſuper Iob in hunc modum: *Habeant qui volunt veteres libros vel in membranis purpureis au-*

ro

ro argentoque deſcriptos, vel uncialibus, vt vulgò aiunt, litteris, onera magis exarata quàm codices; dummodò mihi meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices quàm emendatos. hęc Hieronymus de ſe, & aptiſſimè Albertus verba iſta dicere poteſt, imò facto dicit, ſicut etiam declarant alij ipſius Libri quos manu propria ad integrum conſcripſit, quos & Coloniæ habemus, videlicet ſuper Matthæum & De animalibus; in quibus nec initiis capitales litteras poſuit, ſed & abſque ſpatio & omni ornatu codices ſunt. Conſuetudo inſuper ipſi fuit, vt Libros quos edidit, propria ſcriberet manu; quare plures libri ex manu eius ſcripti propria reperiuntur in diuerſis locis: ſicut præfati enim iam Libri Coloniæ habentur, ſic & in aliis Conuentibus Ordinis alij reperiuntur; vt ſuper Logicam in Zuzatenſi Conuentu Saxoniæ prouinciæ; in Ratiſponenſi verò ſuper Logicam, quem fertur in Epiſcopali dignitate conſtitutus ſcripſiſſe; in Conuentu autem Nurenbergenſi, vt aiunt, manus ipſius habetur ſuper Ioannem. Hæc igitur inſerere placuit quæ vidi & ma-

nibus contrectaui, vt ambiguum quod dixi non maneat. Et licet incidentaliter hæc recitata ſint, redarguunt tamen curioſos nonnullos in libris. Taceo de maioribus: ſed & quoſque laborantes animant hæc, ne otio in ſuam perniciem torpeſcant, cùm talem Doctorem ac tam excellentem virum, ſcientia, & ſtatu, atque diuina contemplatione mirabilem, labori manuum cognouerint inſudaſſe: lateatque neminem quàm ſæpè tituli Librorum, in diminutionem famæ Doctorum aut alterius incommodi erroneè peruertuntur. Vnde & ipſe venerabilis Dominus Frater Ioannes de Turrecremata, Ordinis Prædicatorum, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, etiam ex ſtilo deprehendit hunc præfatum Tractatum non fuiſſe ſancti Thomæ; quia idem Cardinalis in vno ſuorum Tractatuum quædam allegans ex præfatis Alberti Sermonibus, ſic dicit de eiſdem Sermonibus vel Tractatu: *Iſte Tractatus non eſt ſancti Thomæ, ſed videtur eſſe Domini Alberti.* quod & verum eſt, ſicut iam probatum eſt.

CA-

CAPVT XXI.

De eiusdem deuotione ad Dominicam passionem, & qualiter probauit lignum sanctæ Crucis.

Ad sanctam verò Crucem & Dominicam passionem venerabilis Pater Albertus tamquam Christi imitator & discipulus, non mediocriter, vt credimus, affectu sancto afficiebatur; quare tamquam amatæ suæ sæpissimè memoriam agens, singulariter de ipsa, quandocumque occasio se offert, latiùs sermonem describit in Theologicis suis Libris: sed hæc ob magnitudinem huic compendiosæ Legendæ inserere non possumus, licet non paruam possent ostendere ipsi Crucifixi adfuisse amorem. Qui autem hæc scire desiderat, vt aliqualiter hoc certum legentibus fiat, notetur super Lucam circa illud IX. cap. *Si quis vult post me venire, abneget*, &c. vbi de virtute & laude Crucis prosequitur pulchrè. Similiter & Lucæ XIV. circa illud, *Qui non baiulat crucem suam*, de tota Christi passione & titulo Cru-

cis ad longum pulcherrimè prædicat. Item Isaiæ LIII. circa illud, *Vidimus eum nouissimum virorum, & virum dolorum,* de amaritudine venerandæ Passionis Iesu Christi, tamquam Crucis Christi amator, singulare quid & nobile posuit. Sed & in tertio suo scripto, distinctione XVI. tantam ponit fuisse Passionem Christi, vt non tantùm maiorem dicat ipsam fuisse omnibus passionibus Sanctorum; verumetiam acerbiorem passione Adæ in primo statu innocentiæ, si detur per impossibile quòd pati potuisset. vnde ibidem sic dicit: *Meo iudicio, acerbitati Passionis Christi nulla pœna corporalis potest comparari, quam aliquis pati potest corporaliter, & secundùm naturam: vnde si Adam passus fuisset, dico quòd non ita acerbè doluisset vt Christus. Insuper & dolor Christi adhuc grauior quàm mors animæ, si poneretur; quia meliori contrariatur.* hæc Albertus ibidem; quæ si quis videre desiderat, & rationes ibidem eius reperiet. Sed de Saluatoris veneranda passione & viuificæ Crucis signaculo non tantùm locis debitis & magis aptis, verùm & incidentaliter sæpè aliis materiis aptando, ne immemor Crucis,

Crucis, de eadem est prosecutus, vt patet circa illud Lucæ XIX. *Hodie salus domui huic facta est.* vbi dicit, omnem Ecclesiam principaliter in honorem sanctæ Crucis esse consecratam; & qualiter Crucis imago, quasi Dominus extensus super domum, Altare respicit, manibus expansis Sancta sanctorum amplectitur, & longitudine corporis Sancta tegere videtur; & cetera multa, vt ibi inuenies. Et reuerà conuersatione asperæ vitæ hunc crucifixum non dubitamus, cui tanta cura fuerat de crucis assumptione nos præcipuè admonere: ea enim virtute præ ceteris magis nouimus Sanctos quosque fulsisse, quam frequentiùs laudasse verbi præconio audiuimus. Paulus namque, qui stigmata Christi in corpore portat, cui etiam ostensum est quanta pati pro nomine eius deberet, præcipuè in Cruce gloriatur. Sic Hieronymus, fatigatus labore ex ieiunio, de temperantia incredibilia nobis prædicat. Antonius discretionis spiritu insignis, hanc præfert singulis virtutum exercitiis. Sic de multis, nisi breuitas, cui intendo, obstaret, percurrere possemus. Nónne & ager mul-

tis ſeminatus alternatim ſeminibus, ob ſui qualitatem vberiores ex vno quàm alio profert fructus, quamuis in nullo ſterilis habeatur? Sic abſque dubio Albertus ex vberiore deuotione ad venerandam Chriſti paſſionem copioſiùs de ipſa diſſeruit; vnde & ſuam deuotionem ad Crucem Chriſti Paſſionemque Dominicam ex hoc probamus. Ante ſummum enim Altare Chori Fratrum ſepulchrum ipſius eſt, in quo cum corpore nuper, anno Domini M. CCCC. LXXXIII. III. Idus Ianuarij, id eſt altera Pauli primi Eremitæ, Chriſti Paſſionis & Crucis ſigna, dum exhumaretur, reperta ſunt. Aperto namque ſepulchro venerabilis Alberti, ſarcophagum lapideum inuenimus, in quo tumba lignea vna cum eiuſdem Patris & Doctoris corpore terra cooperto, & lapide Epitaphio inſcripto. Quo in lucem educto, reperimus de ligno Crucis paruam peciam, & Agnus Dei de cera virginea, atque denarium clauo Domini Saluatoris perforatum, omnia collo ipſius Alberti alligata; quæ in vita haud dubium in memoriam Dominicæ Paſſionis portare conſueuit. Et oſtendens ſe

ſe in Domino obdormiſſe, vſque in defoſſum ſuæ ſepulturæ locum noſtræ redemptionis ſigna ſecum hic Beatus attulit, vt nec iam extinctum corpus viuifici ſignaculi gloria priuaretur. Fuit autem Agnus Dei illud non auro vel argento inuolutum, ſed ſerico, ob reuerentiam: paupertatis namque, non diuitiarum amatór extitit, vt infrà patebit. Sed & illud demum Alberti in laudem placet apponere, vnde Crucis Chriſti fuiſſe illum amatorem probamus: hic nempe, ex ſpeciali deuotione ad venerandam Crucem, in Eccleſia Fratrum Coloniæ ſignaculum Crucifixi infra Chorum & Eccleſiam in alto ſuſpendit, vt ab omnibus valeat adorari; in quo ipſemet Sanctorum Reliquias impoſuit, atque pro maiore deuotione intuentium eamdem imaginem, cùm eſſet Epiſcopus, conſecrauit: quam quicumque deuotè adorauerit, indulgentiam vnius anni & centum quadraginta dierum à Fratre Saluo Racanatenſi Epiſcopo, Vicario in ſpiritualibus Domini Nicolai Quarti, omni tempore obtinebit, ſicut habetur in tabula Indulgentiarum Fratribus Ordi-
nis

nis datarū. Fuit autem Nicolaus Quartus illo in tempore quo Albertus vixit. vnde credimus has Indulgentias impetratas ob singularem deuotionem Alberti insinuandam, procurandamque hanc in populo. Hic etiam Crucis amator Albertus, pretiosi ligni portionem non paruam Coloniensi Conuentui dereliquit in puro auro inclusam, atque gemmis circumdatam: quod etiam aureum clenodium, quemadmodum calices Altaris solent benedici, ob reuerentiam salutiferi ligni inclusi, est consecratum, vt celebri fama cognoscimus, eò quòd præfata portio ligni fertur ab Alberto probata fuisse: & licet scripto commendatam non inuenimus examinationem eiusdem ligni, quia fortè amissæ sunt litteræ ex negligentia; ab antecessoribus tamen nostris continuè hæc narrari sine hæsitatione solent, quòd ipse venerabilis Albertus dum viueret, jam dictam ligni portionem sic probauerit. Ne enim ipse incertis fidem accommodaret, de Dei clementia confisus, accepit lignum illud, atque in ignem proiecit, credens non posse consumi ab igne, si pretiosissimam Christi

glebam

glebam portasset: & ecce, mox vt rogum tetigit, illicò resiliit ex ipso intactum. Quare & inter omnes Reliquias quas habemus, hanc portionem maiori prosequamur veneratione. Contigit etiam nostro tempore, vt mulier quædam obsessa in Colonia ad Sanctorum corpora duceretur pro sua liberatione, vt ad nostram Ecclesiam veniret; cui dum præfatum lignum ostenderetur, malignus ille se compescuit, nec verbis tam profluus vt antè fuit, sed ita submurmurans ait: Ipse in ligno hoc pependit. signans Saluatorem indeterminata locutione; quasi præ timore non fuisset ausus Redemptoris nostri proprium nominare vocabulum, ad quod omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Facit insuper fidem de prædicta examinatione per Albertum facta aliud quoddam simile. Coloniæ namque in Ecclesia Collegiata sancti Clementis, quæ vulgariter sancti Cuniberti basilica dicitur, eò quòd ibidem corpus eiusdem sancti Episcopi requiescit, inter alias Sanctorum Reliquias de ligno sanctæ Crucis habetur maior portio quàm in nostro Con-

Conuentu ſit, licet eiuſdem ſint coloris vtræque, de qua & ipſi Canonici dicunt, quòd ſit per venerabilem Albertum probata per iniectionem ad ignem ſicut & noſtra, habereque ſe affirmant documentum in ſcrinio de examinatione tali.

CAPVT XXII.

De Alberti deuotione ad beatiſsimam Virginem Mariam.

GLORIOSISSIMÆ Virginis Mariæ Matris vnigeniti Dei tâtus Albertus extitit amator atque laudator, ne alicui dicta illius ſcrutanti in dubium venire queat, etiamſi alia non eſſent argumenta, quin ſingulari gratia ab ipſa Matre gratię ſit dotatus: ſcriba enim ſingulariſſimus eſt Virginis eiuſdem prę omnibus qui de ipſa ſcripſerunt. Nam ſingulares huius benedictiſſimæ Virginis laudatores ſunt, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Bernardus, Anſelmus, & Ioannes Damaſcenus, qui omnes decora ſua locutione & dulciſſima deuotione ipſam, vt dignum eſt, mirabiliter

biliter commendant; quàm magna, quantæ poteſtatis, cuius meriti perfectioniſve in omni virtute exiſtat, & quàm benigna ſit, ornatiſſimo ſtilo perſuadent efficaciter. Sed non ita apparenter rationibus vincunt animum audientis vt hic venerabilis Albertus ſuis in Sermonibus de ipſa dum loquitur. Probat hoc clarè Liber eiuſdem qui de Laudibus Virginis intitulatur. Tam copiosè etiam de illa ſcribit, vt quaſi non ſit Liber in Theologicis ab eo editus, in quo ipſius dilectæ ſit oblitus. Frequentiùs tamen atque abundantiùs in Poſtilla ſuper Lucam de eadem Virgine loquitur, quæ omnia ſuis in locis Lector quicumque inueniet. Nec ſimplici ipſam nominando vſus eſt vocabulo, ſed nunc beatiſſimam, nunc honeſtiſſimam benedictiſſimamque, nunc Dominam matrem Dei, nunc mâtrem Creatoris appellat; imò dum allegat auctoritatem Virginis, vt patet in Libro de Euchariſtia, non fuit contentus dicere, Dicitur Lucæ primo; ſed ita: *Hoc dicit noſtra illuminatrix Maria, filia Annæ, hoc eſt gratiæ.* Hinc in ipſius Legenda ſic de eo habetur, quòd *ob ſingulariſſimam*

mam deuotionem ad Dominam nostram in horto vel alio secreto loco solus quasi studens, cantionem cum lacrymis ad beatam Virginem, frequentissimè suspirando atque singultus immiscens, cantare solebat. Fertur etiam plures Sequentias de beata Virgine composuisse, quæ Sabbatinis diebus decantari solent in Ordine Prædicatorum. Vnde cùm tantus laudator beatæ Virginis extitit, non mirum quòd per ipsam quæ plena est gratia, præ aliis gratiam maiorem accepit. Sed & hoc suo testimonio nobis notum facit: in Litania enim sua Orationem ad beatam Virginem facit, quæ sic incipit: *Sancta Maria, secundùm nomen tuum illuminatrix cœli & terræ, quæ in multis de secretis filij tui & Verbi Dei Patris à sæculis in Deo absconditis etiam ipsa Angelica lumina illuminasti*, &c. In qua Oratione clarè dicit, beatam Virginem incessanter sibi dona gratiarum contulisse: imò & proferendo per eius linguam, dicit beatam Mariam potentiæ suæ miracula indesinenter operari. Sic autem ait in Oratione ista post alia verba: *Da mihi intellectum luminosum, conceptum stabilem, mentem tenacem, scientiam certam,*

fidem

fidem firmam, ſermonem conuenientem, qui me audientibus det gratiam; ſcilicet ſermonem qui ſit ad fidei confirmationem, ad Eccleſiæ ædificationem, & ad gloriam nominis Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad perpetuam laudem & prædicationem miſericordiæ tuæ, quæ in tam indignum peccatorem miſericordiæ tuæ dona conferre non ceſſas, & proferendo per linguam potentiæ tuæ miracula non deſinis operari. hæc Albertus in ſua Oratione præfata.

CAPVT XXIII.

De eiuſdem admonitione vt frequenter & ſapienter laudemus beatam Virginem.

Et quia gratioſè dotatus eſt venerabilis Albertus gratia & ſcientia per beatiſſimam Virginem Mariam, meritò eamdem frequentiùs laudare quàm ceteri Doctores debuit, ſicut dicta ipſius & ſcripta commendant. Sed dubium non eſt, quin etiam Virginis virtutes, quæ ſunt, humilitas, caſtitas, pudicitia, manſuetudo, charitas, & omnis diſci-

plinæ pulchritudo, vir iste beatus singulariter habuisse credendus est: & ipsam non tantùm morum venustate in conuersatione arbitramur continuè subsecutum, sed & obsequia alia deuotionis & assiduæ salutationis illi exhibuisse, fide certa tenemus; maximè cùm nostram pigritiam increpando ad imitandum vitam venerabilis Dei Genitricis nos hortatur, atque vt eamdem oscularemur deuotè frequentissimè salutando, tota diligentia curat admonere: ait namque in Postilla inter multa alia sic: *Maria autem in conclaui sine væ sit conclaue Verbi, & thalamus sponsi æterni, vestibulum Filij Dei, Regis summi, & triclinium totius Trinitatis, & Fabricatoris mundi fabrica. Salutemus ergo eam frequenter & sapienter. Frequenter, vt nec à corde nec ab ore recedat, sicut suadet*
Isaiæ 23. *Isaias: Benè cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit. Frequenter, vt in omni deuotione salutemus, ne fortè dicat nobis:*
Matth. 15. *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me, sine causa colunt me. Sapienter autem, vt salutans salutatæ congruat, & salutatio concordet intentioni: qualiter enim aut luxuriosus virginem,*

nem, aut ſuperbus humilem, aut maledi-ctus benedictam ſalutare præſumit? hæc Albertus in Poſtilla. Ex quibus verbis redarguuntur quidam animales, qui modum orandi impugnant, quo beatam Virginem ſalutare conſueuimus per Roſarium quod continet quinquagenarium numerum Angelicæ ſalutationis, cùm hic magnificus Doctor docet & perſuadet frequentare Canticum illud dulciſſimum. Et quantum iudicio humano permittitur, ſuſpicari poſſumus, & valdè probabiliter dicere, venerabilem Albertum Roſarium legiſſe, præſertim cùm ſuo tempore in vſu fuit hominum ille modus ſalutandi: ita vt Frater Thomas Brabantinus, Auctor Libri Apum, Alberti diſcipulus, miracula de eodem Roſario deſcribit; & quod diſcipulus miraculis confirmat vt fidem adſtruat, hoc Magiſter, ne ab ore ſalutatio recedat, dum admonet, auctoritate roborat.

CAPVT XXIV.

Quòd beata Virgo creditur Alberto apparuisse, cùm Librum de Laudibus gloriosæ Virginis scriberet.

NEC silentio pertranseundum puto illud, quod fertur de eodem Alberto, & credibile multùm, si causa inspicitur, omnibus videtur, videlicet reuelationem sibi apertam à Dei Genitrice factam esse cùm de Laudibus eiusdem Librum conscriberet. Nec hoc mirum, cùm tam inaudito modo Virginis laudem dilatare in ipso Libro contendit: non enim tantùm virtutes animi eiusdem Virginis multipliciter distinguit & enumerat, verùm & corporis eius singula membra cuius fuerint dispositionis in figura & colore, disputando quid probabilius sit tenendum in huiusmodi, vt de corpore etiam laudem habeat, satagit inuenire; & si inuenire non possit quod desiderat, saltem argumenta pro & contra inspiciens, iam hoc iam illud opinari queat, ne vel imaginatio præsentia Virginis careat.

careat. Inde, cuius complexionis fuerit, conatur diſputando inuenire, oculíve cuius coloris, & naſus cuius figuræ extiterit: ſimiliter & de crinibus, & ceteris quæ corporis ſunt, indagare ſtuduit. Nec de Nuntio ad Virginem miſſo tacuit, cuiuſmodi coloris habere poterat veſtes, & de cubiculo Virginis vel Oratorio diſputat, quod etiam ſanctius templo Iudaico affirmat. Sed & quo tempore, an manè vel veſpere, meridie vel nocte Nuntius venerit, ratiocinando inquirit. In quo actu tunc Virgo, an contemplationis vel actionis fuerit, ſcire laborat. Quare autem in ciuitate aptiſſimè facta ſit Annuntiatio, & qualiter beata Virgo ciuitas eſt dicta, egregiè determinat. Vltimò verò & de ſcientiis glorioſæ Virginis diſputans, non tantùm hanc habuiſſe diuinas ſcientias liberaleſque Artes, ſed & mechanicas, diffinit. Vnde iſtis & aliis multis pulcherrimis in eodem Libro conſideratis à nobis, ſtupore tenemur, dicimuſque: Putáſne glorioſa Virgo, quæ ſui memorum nequaquam immemor eſt, poterat viſionis ſuæ ſpeciem à tanto ſuo amatore abſcondere, & non potiùs dulciſſi-

ma apparitione ipſum inuiſere? Tam magnifica enim ipſius Doctoris de Virgine benedictiſſima ſcripta exiſtunt, vt hac ſola ipſum beatiſſimum declarent: ſicut nuper contigit, dum quidam Sacerdos deuotus hunc Librum de Laudibus beatæ Virginis perlegeret, ignorans tamen ipſum editum ab Alberto, ecce ſola lectione de qualitate Auctoris edoctus eſt. vnde prorupit in hanc vocem: Verè,inquit,non aliud ſentiri poteſt, quin Auctor iſtius Libri regni cæleſtis ſit ciuis.

CAPVT XXV.

Quòd beatus Paulus in viſione apparuit Alberto, atque ipſum animauit ad continuandum Librum de Eccleſiaſtica hierarchia.

CVM igitur ſic totus Virginis inſiſteret laudibus, & Dei ſeruitio ſe mancipaſſet,quotidie tamen in anteriora ſe extendens, ad cæleſtia cognoſcenda pariter & amanda animum modis quibus poterat dedit. Scripturæ igitur ſacræ qua intellectus illuminatur, affectuſque

ctuſque in amore Dei accenditur, iugiter, quemadmodum de beato viro legitur, erat intentus; & licet corpore ſolo in hac peregrinatione eſſet poſitus, cogitatione tamen & auiditate in illa æterna patria eſt conuerſatus: & ideò congruum erat vt à ciuibus cæli viſitaretur in terris; quod ſubſequens probat viſio. Quidam enim Frater vita & ſcientia clarus, inuenit de manu Domini Alberti notulam hæc verba continentem: *Tutis auribus loquor. Cùm expoſitionem Libri beati Dionyſij de Cæleſti hierarchia laboribus multis perfeciſſem, & aggreſſus expoſitionem de Eccleſiaſtica hierarchia, primum Capitulum quod de Baptiſmatis Sacramento tractat, cum immenſis laboribus tranſiſſem; ad expoſitionem ſecundi Capituli manum mittens, fateor, deficiens deſperaui: & ecce poſt Matutinas ſomnium tale vidi: In quadam enim Eccleſia me inueni, in qua beatus Paulus Miſſam celebrabat. Vnde plurimùm conſolatus, ſperabam per ipſum de intellectu Librorum beati Dionyſij erudiri: & cùm diceret Agnus Dei, per oſtium Eccleſiæ magnus populus ingreſſus eſt; quos Apoſtolus placidè reſalutando requiſiuit quid peterent.*

Qui dixerunt: Ecce dæmoniacum tibi adduximus, supplicantes vt expulso dæmonio digneris hunc curare. Qui placidè se promisit hoc facturum: & dæmone fugato, communicauit hominem à dæmonio liberatum de parte Hostiæ consecratæ: cumque post Agnus Dei esset ablutio tribuenda, ego me ad hoc obtuli, & cum reuerentia sum locutus: Domine, multo tempore exoptaui vt possem de abditis & profundis in Libris beati Dionysij occultatis de vestræ pietatis gratia edoceri. Qui mihi beneuolè respondebat, dicens: Post Missam ad domum Aaron Sacerdotis mecum venies vltra aquam. Post Missam verò Apostolum sum secutus, & cùm ventum esset ad aquam, Apostolus leniter transibat; ego autem cùm aquam tangerem pedibus meis, excreuit subitò in immensum, vt mihi transitus non pateret; Apostolus verò transiens, domum Sacerdotis, quam mihi indicauerat, est ingressus; & ego sollicitus de sequela, subitò à somno sum excitatus. Ego autem mecum cogitans, meipsum interpretem somnij feci & visionis: quia primum Capitulum per me expositum, egit de eiectione dæmonis ab homine per Baptisma; & baptizato homine, participatio Sacramen-

cramenti datur. Ad domum Aaron vocatio, qui chrismate vngebatur, sequens Capitulum, quod de Chrismate quo Pontifices consecrantur, inuitabat. Verùm aquæ profunditas excrescentis me retraxerat à scribendo, cuius mihi transitum beatus Apostolus facilem ostendebat diuinæ gratiæ innitenti. Accinctus sum ergo in me ad scribendum, & Dei adiutorio consummaui, vbi de infirmitate propria desperaui. hæc in Alberti Legenda. Ego autem quemdam codicem vidi, vbi omnes Libri beati Dionysij cum expositionibus venerabilis Alberti continebantur, vbi etiam aliqua erant de vita Alberti, & iam dicta visio; cui visioni ita præmittebatur: *Noui Fratrem vita & scientia clarum, qui se dixit vidisse Libros Domini Alberti super Dionysium, vbi inuenit de manu eiusdem Alberti notam istam: Tutis auribus loquor*, &c. ex quibus constat veritas visionis prefatæ. Hinc etiam præ ceteris Albertus laudandus est, quòd tamquam diuino munere dotatus, Libros beati Dionysij, qui Diuinus Doctor appellatur, exposuit primus inter Doctores modernos, cùm etiam inter antiquos pænè nullus eorumdem

Librorum expofitor ob difficultatem reperiatur. Inde & beatus Hieronymus, vt creditur, inter Ecclefiafticos Scriptores excellentiffimum Areopagitam non pofuit; quoniam eius Libros fic eminentes ad communem notitiam deputandos non putauit. nec mirum, cùm ipfemet diuinus Dionyfius Catholicos obteftatione adftrinxit, ne imperitæ multitudini, fed folis doctis fua fcripta, quafi multorum capacitatem excedentia reuelarent, vt patet in principio Ecclefiafticæ hierarchiæ.

CAPVT XXVI.

Quòd Albertus efficitur Prouincialis Teutoniæ, & quid gefsit in illo officio.

SED dum venerabilis Albertus tamquam ftella in firmamento gloriofis radiaret exemplis, ad illuminandumque ceteros potens effet fcientia qua eminenter effulfit; fecundùm Ordinis ritum ad Prouincialatus officium per Teutoniæ prouinciam in Capitulo Prouinciali Wormatiæ anno Domini

mini M. CC. LIV. celebrato, per Fratres eligitur. In hoc officio non tantùm administratione regiminis præfuit, sed & æmulatione iustitiæ & rectitudinis ex Religionis feruore, quem in seipso seruabat. Cuncta enim quæ Apostolicæ perfectioni aduersantur ne subintrarent, operando, docendo, reuocando remissiùs agentes, peruenerabilis tamquam verus pastor lupum arcens, instanter abegit: vnde Ordinem nuper à beato Dominico inchoatum, atque in partibus Italiæ, Franciæ, & Hispaniæ Conuentibus ampliatum, insuper in omni sanctitate adornatum, Albertus eumdem Ordinem in Alamanniæ partibus pari studio intentus, augmentare numero & merito satagebat, ostendens se sanctissimi Patris Dominici prolem clarissimam, ac Euangelicæ paupertatis amatorem. Nam quantum humilitatem & paupertatem Albertus dilexerit, hoc facto euidenter ostenditur, quòd Monasteria sui Ordinis per totam Alamanniam diffusa, incipiens ab Austria, & ita vlteriùs vsque ad Sueuiam, Bauariam, Alsatiam, per lineam quoque Rheni atque Mosellam vsquè ad Brabantiam

inclusiuè;insuper per totam Saxoniam, Westphaliam, Misniam, Thuringiam, Hollandiam,Holsatiam,aliasque partes circa Lubecam ad mare sitas in propria persona pedester incedendo visitauerit, non habens æs in zona, sed cum Fratribus ostiatim panem mendicando, Apostolicæ perfectionis æmulator factus est, idem volens à Fratribus per omnia obseruari. In Actis enim,cùm ipse electus esset in Prouincialem,ita habetur: *Infra terminos pro officio prædicationis exercendo, nulli omnino in curru licentia concedatur, & sine causa legitima cum nullo dispensetur ad eundum in curru vel biga. Causas autem legitimas dicimus, si sit transitus per desertum,vbi hospitia vel victualia non inueniantur;vel si ad infirmum, de cuius periculo timetur ex mora Fratris, oportet festinare; vel si Fratrem extrà infirmatum necesse sit per vecturam in domum deduci; vel si Princeps ex causa vrgente ad locum aliquem vocet, ad quem sine mora oporteat festinare. Qui secùs fecerit,pro quolibet die disciplinam in medio in conspectu omnium accipiat, & in terra sedendo in pane & aqua ieiunet. Et hanc pœnam per dispensationem nolumus rela-*

relaxari. In ſequenti autem Capitulo Auguſtenſi grauiùs puniuit ſui mandati tranſgreſſores, abſoluendo hos Priores, Hildensheimenſem, Purgenſem, Cremenſem. De Priore Cremenſi ſic infert: *Iniungimus ei pro curriſatione, & propter duorum Conuerſorũ receptionem ſine licentia, ſeptem dies in pane & aqua, quinque Pſalteria, & quinque diſciplinas. Priori Mindenſi quinque dies in pane & aqua, & quinque Miſſas, tria Pſalteria, & tres diſciplinas, quia venit eques ad Capitulum. Fratribus Treuerenſibus, per quos introductæ fuerunt mulieres in Chorum, clauſtrum, hortum & officinas, tres dies in pane & aqua, tria Pſalteria, tres diſciplinas. Item Fratres qui vſi ſunt curribus vel equitaturis hoc anno ad Capitulum veniendo, vel aliàs ſine neceſſitate & licentia, ſuſtineant pœnam grauis culpæ.* hæc ex Actis Alberti cùm eſſet Prouincialis.

Ecce quantum in ijs quæ purè cærimonialia ſunt, in quibus etiam Fratres tranſgredientes, ſi tamen ſine contemptu factum fuerit, nullam culpam nec venialem, nec mortalem, vt Conſtitutio dicit, ſed ſolam pœnam ad arbi-

trium Prælati incurrunt; iste Religionis zelator Albertus voluerit rigorem disciplinæ ab aliis, quemadmodum præcesserat exemplo, inuiolabiliter obseruari; quamuis simplex Prior & Vicarius in currisatione & similibus, pro loco & tempore, iuxta Constitutionis dictum posset dispensare. Non ergo Religiosi quicumque aliorum Ordinum, vel Clerici aut sæculares velint iudicare seu scandalizari, si aliquid de ijs quæ videntur contra Ordinis professionem esse, cùm perspexerint ab aliquo non obseruari; dum nesciunt an de substantialibus sint Religionis, vel de genere ordinationum in cærimonialibus: in quibus qua necessitate, vtilitate, & licentia habita dispensetur, ignorant, maximè cùm non sint ex natura sua peccata, nec ex vi professionis, vt præmissum est. Nullum enim illorum propter quæ, vt iam dictum est, venerabilis Albertus grauem pœnam imposuit Fratribus qui transgressi fuerant, est aliquo modo alicui Fratri Prædicatorum Ordinis peccatum nec veniale nec mortale; sed pœna iniungenda stat in arbitrio Prælati, sicut & dispensatio,
quod

quod clarum eſt ex Conſtitutionibus Ordinis. Nec tamen Fratres ob hoc hæc paruipendant, qui proficere in melius ſemper tenentur; ne, dum minima negligunt, defluant ad maiora. Aliud ſimiliter ex iſtis Actis venerabilis Alberti non paruum documentum poſſunt ſumere quicumque in Prælatione ſunt conſtituti, cùm cernunt manifeſtè quanta pietas ipſi ſeueritati quam exercuit adiuncta fuit, feriendo negligentes; quia prudenter putat vineam, vt ſalubriùs creſcat; nec gladium interemptionis admittit, qui fimo correptionis in melius proficere nouerit arbuſta quàm inciſione. Contra cuius prudentiæ exemplum multi vinitores ſpirituales, qui cuſtodes vineæ Domini ſabaoth poſiti ſunt, facientes, deſtructores, imò interfectores fiunt, antequam cuſtodes eſſe incipiunt: ij planè qui alligant onera grauia & importabilia ſuper humeros hominum, nouas conſtitutiones accumulantes, cùm nec ipſi quæ antè ſtatuta ſunt obſeruant. ſed & minor querela in ijs eſſet, ſi non præcepta & cenſuras excommunicationum & ſuſpenſionum addendo, multipliciter

regni

regni cælorum aditum præcludentes, animas illaquearent, ne dicam necarent: quos notando Albertus iste prudens pastor & pius non solùm exemplis suis reuocat, sed & verbo docendo salubriter instruit, dicens in Postilla circa illud Matthæi XXIII. *Alligant enim onera importabilia super humeros hominum*, ita prosequendo sermonem: *Ecce austeritas: sequentes Roboam, qui dixit: Pater meus imposuit vobis iugum graue, quod ego grauius faciam. Pater meus cecîdit vos flagellis, & ego cadam vos scorpionibus. Horum imitatores esse videntur qui Religiosis Regulam canonicam & approbatam super Euangelium professis, tota die nouas Constitutiones ingeminant, & præcepta grauia plus quàm ferre posit humana fragilitas.* hæc Albertus.

Sed & idem Albertus tales reprehendendo iterùm notat Ioannis X. circa illud: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium.* vbi septem ponit quæ vtile faciunt ouile; scilicet, quòd sit molle ad accubandum, mundum ad quiescendum, calidum ad fouendum, firmum ad defendendum, pabulosum ad nutrien-

nutriendum, & largum ad recipiendum, & adunatum ad congregandum. quæ septem prosequitur sic inquiens: *Mollities autem est per Prælatorum mansuetudinem, mundum per castitatem, calidum per charitatem, firmum per fortitudinem, pabulosum per verbi Dei eruditionem, largum per temporalium liberam distributionem, adunatum autem per vnanimitatem. De mansuetudine dicit summus opilio: Discite à me quia mitis sum & humilis corde: iugum enim meum suaue. Galat.* VI. *Instruite illum in spiritu lenitatis. Non talem caulam habuerunt illi de quibus dicitur Ezechielis* XXIV. *Cum austeritate imperabatis eis, & dispersi sunt greges mei. Tales sunt proclini ad pœnas infligendas, proni ad sententias promulgandas.* hæc Albertus; qui ibidem singulas præmissas septem conditiones ouilis per Scripturam canonicam dilatando probat. Matth. 11.

CAPVT XXVII.

De sollicitudine Alberti quam habuit in Prouincialatus officio circa sanctimoniam habendam à Fratribus.

NON autem de solo exteriori ornatu domus Dei, qui in cærimoniis regularis vitæ noscitur consistere & disciplinatis moribus; verùm & de conscientiæ decore perampliùs sollicitus extitit hic Pater beatus. Vnde vt perageretur illud celeriùs, non tantùm admonitione sermonis, sed & epistolis curauit Fratres ad cordis munditiam amator sanctæ pulchritudinis inuitare. Scribit proinde in vno Capitulo, cùm in propria persona non omnes sibi creditos Conuentus poterat visitare, hanc epistolam ad singulas suæ Prouinciæ domus, in hunc modum: *Dilectis in Christo Fratribus Prioribus & Conuentibus Fratrum Ordinis Prædicatorum per Teutoniam, Frater Albertus Prior Prouincialis & seruus Fratrum Prædicatorum eiusdem Prouinciæ salutem, & fraternam*

ternam in Domino charitatem. Instantiæ & ſollicitudo quotidiana officij, quod obedientiæ debito conſtrictus adminiſtrare compellor, inducit vt admonitiones, quas in Capitulo Prouinciali feci Fratribus ibidem conſtitutis, vobis abſentibus debeam declarare. Quapropter vt cura Fratrum mihi commiſſorum, quam per me explere non poſſum, per Priores ſingularum Domorum efficaciùs expleatur: volo vt ſecundùm quod iamdudum à Generali Capitulo ſalubris admonitio emanauit, & etiam concordat Generalis Concilij conſtitutum, quilibet Frater ſemel in anno ſuam conſcientiam aperiat Priori ſuo, & peccata ſua omnia in quibus eſt confiteatur, vt vultum pecoris ſui agnoſcat. hæc in Actis Alberti. Hanc autem, de qua iam dictum eſt, munditiam cordis Frater quidam non diligens, in damnationem propriam, vitium proprietatis incurrit, celans aliqua cum Anania & Saphira: ſed feruenti zelo punitus eſt etiam mortuus, ſicut illi à Principe paſtorum Petro animaduerſionis ſententiam acceperant. Nam in Actis Capituli Wormatienſis, vbi Albertus Prouincialis electus fuerat, ſic continetur:

Con-

Conuerſum in Betonia mortuum, in cuius proprietate inuenta ſunt extra domum, Prælato ſuo inſcio, nummi & veſtes, extumulari iubemus, & priuari Eccleſiaſtica ſepultura. Et ne ab aliquo huiuſmodi vitium committeretur, venerabilis Albertus admonendo & minando ab eadem nefaria cura, quam proprietarij in perniciem ſuam ſequuntur, in alia Epiſtola, ſi qui tentarentur Fratres in huiuſmodi vitio, tamquam vigilans & zeloſus paſtor retraxit, ſcribens ſub hac forma Epiſtolam: *Dilectis in Christo Fratribus*, &c. *Frater Albertus Prior Prouincialis per Teutoniam, & ſeruus Fratrum Prædicatorum eiuſdem Prouinciæ ſalutem*, &c. *Ne proprietatis vitium ſanctæ profeſſioni paupertatis noſtræ poſſit ſubrepere; Volo vt nullus Fratrum habeat diſpenſationem nummorum aut quarumcumque rerum quæ ad eius conſilium, ſiue eius vtilitatem, ſiue aliorum quomodolibet conuertantur, nec conſcio Prælato ſuo vbi ſit illa pecunia vel res alia, & qualiter diſpenſetur: nam ſi quis ſecùs fecerit, & Prælato inſcio huiuſmodi res diſpenſaret, aut diſpenſandas ſuo conſilio aut arbitrio reſeruaret, eum proprietarium*

rium reputarem, & tamquam nostræ professionis violatorem regulariter condemnarem. hæc Albertus.

Hanc absque dubio paupertatem in se ipso tam plenè obseruabat, vt in alienis Conuentibus assignatus pro tempore, nec ipsos Libros, quos dictando ibidem propria manu conscripserat, ad suum originalem Conuentum secum reducere voluisset, ob proprietatis vitij damnationem; eò quòd si contrarium fecisset, non puræ paupertatis opus id esse iudicaret. Maluit enim hac sua paupertate in Librorum abdicatione aliorum supplere inopiam, quos pauperes scientia nouerat esse; quàm magnus reputari in scibilibus, si codicum numerositate grauatus quos edidit, quandoque ad suum Conuentum reueniret natiuum. Inde profectò in pluribus locis vbi missus fuerat, eius Libri de manu propria reperiuntur; vt notum fieret omnibus, quia dum paupertatem amplectitur nihil possidendo, & scientiam constaret docuisse sine inuidia, vnà cum Libris ipsam communicando. Sed huius perfectæ paupertatis perpaucos considerans ipse Albertus amatores atque

quę ſectatores, ex compaſſione redarguit eoſdem vt reſipiſcant, ita in Poſtilla inquiens ſuper Lucam XXI. circa illud, *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis. Stellæ autem*, inquit, *ſunt Religioſi, qui, ſicut ſtellæ ſtant in cælo, ſic deberent*
Philip. 3. *ſtare in cæleſti conuerſatione: noſtra enim conuerſatio in cælis eſt. & Iudicum quinto: Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, contra Siſaram pugnauerunt. Habent autem tres partes, ſcilicet, votum obedientiæ, votum caſtitatis, & votum paupertatis. Et votũ quidem obedientiæ aliqualiter tenent, & ſimiliter votũ caſtitatis; ſed abrenuntiatio proprietatis manifeſtè percuſſa eſt, quia ferè omnes ad amorem terrenorum etiam plus quàm ſæculares ſunt inclinati; & ideò ſignanter dicitur Matthæi* XXIV. *quòd ceciderunt in terra.* hæc Albertus.

CAPVT XXVIII.

De zelo Alberti contra omne vitium, maximè Eccleſiaſticorum: & quid Canonizatio confert Sanctis.

CONTRA omne autem vitium tam acerrimè & ſaluberrimè ex nimio zelo

zelo diſputat, præcipuè contra malos Eccleſiaſticos, tam Religioſos quàm ſeculares, vt nemo dubitare poſſit, quin igne Dei tamquam fornax ſuccenſus fuerit. Vnde quàm magni ſint Prælati, neminem vt Elias pertimuit, zelando iuſtitiam & Chriſtianam Religionem, nunc Summis Pontificibus non parcens fraternè admonet; nunc Epiſcopos, ceteroſque Eccleſiarum Prælatos, Clericos ſæculares atque Religioſos de vitiis acerrimè increpat, teſtimoniis Scripturarum affirmans & teſtificans, quanta mala Eccleſiæ & animarum mortes ex malorum Eccleſiaſticorum peruerſitate eueniunt. De quibus omnibus ſi eiuſdem Alberti dicta adducere vellemus, credo quòd lamentationes & væ decantanda ipſis eſſent magis quàm carmen lætitiæ; cùm miſeriam quam expectare habent à iuſto Iudice, eis ſuis verbis multipliciter inſinuat. Et quia hæc ponendo in hac compendioſa Legenda, vltra modum Liber excreſceret, libet pauciſſima ex his inſerere potiùs, notando loca vbi ponuntur huiuſmodi, quàm in longum ſermonem deducere. Nam circa illud

lud Lucæ XVI. *Cupiens ſaturari de micis*; dicit Prælatos diuites eſſe debere in ſcientia, verbis diuinis, quibus ad pœnitentiam nutrire debent pauperem populum, id eſt peccatores, & deberent ad minus ſex micas dare eiſdem: quas micas ibidem exponit, & Scriptura dictum ſuum roborat. in fine autem multùm dolenter concludit, ſic inquiens: *Sed heu! hodie nemo populo pauperi dat; & ipſi Prælati iuxta Prophetæ vocem optimo vnguento delibuti, nihil compatiuntur ſuper contritione Ioſeph, hoc eſt, pauperum; ſed dicunt illud Eccleſiaſtici: Inueni mihi requiem, nunc manducabo de bonis meis ſolus.* hæc Albertus. Qui iterùm Lucæ XXI. circa illud, *Erunt ſigna in ſole & luna*, ita dicit de Prælatis malis in Eccleſia: *Hæc autem ſigna modò fiunt; ſol enim obſcuratur, quando illi qui illuminatores orbis terræ deberent eſſe, obſcurantur, ſicut dicitur Sapientiæ* XVII. *Totus orbis terrarum limpido illuminabatur lumine: ſolis autem illis ſuperpoſita fuit grauis nox, imago tenebrarum, quæ eos erat comprehenſura. Hæc enim luminaria tenebroſiora ſunt iam facta quàm alia tenebroſa, tum per ignorantiam, tum etiam per nigram vitam.*

vitam. Ij etiam ſunt qui ſtant, non circumeunt, quia de cura ſubditorum nihil conſiderant, ſed in altitudine ſuæ ambitionis ſtant erecti & otioſi: hi pro tertia parte percuſſi ſunt, quia lumen dignitatis retinentes & quæſtum, tota vtilitas ſpiritualium percuſſa eſt. Hæc enim tria ſunt, dignitas; & temporalium diſpenſatio, & vtilitas ſpiritualium quam debebant rependere, quæ tota percuſſa eſt. Ezechielis XXXIV. *Gregem meum non paſcebatis. Iſaiæ* I. *Super quò percutiam vos vltrà addentes præuaricationem. Retroceßio autem eſt, quia reuerſi ſunt ad vomitum & ad vitam laicalem. hoc modo totus retroceſſit Clerus qui ſol mundi fuit; & ideò luna, hoc eſt laicorum congregatio, eclipſim patitur ſui luminis, & conuerſa eſt in ſanguinem; hoc eſt ad carnalitatis amorem.* hæc Albertus, quæ ibidem latiùs per Scripturam ſacram ſunt probata. Qui iterùm in alio loco in eadem Poſtilla circa illud Lucæ xx. *Simulantes longam orationem*, de malis Clericis dicit in hunc modum: *Reuerà non diu orant, ſed ſimulant ſe diu orare, vt occaſione longæ orationis accipiant. Auaritiam veſtram Religionis colore depingitis, & diabolo*

Christi arma præstatis, vt armetur iniquitas, dum hypocrisis pietas æstimatur. Marci XII. *Deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis. Nostri verò Sacerdotes aliquid peius faciunt, quia nullam penitus prætendunt pietatem vel orationem, & tamen deuorant domos omnium: ius suum esse dicentes hoc & istud, sed non esse ius vt aliquid vel Deo rependant vel hominibus. Michææ* III. *Audite Principes Iacob, & duces domus Israel, qui violenter tollitis pelles super oues meas, & carnes earum desuper ossibus earum.* hæc Albertus, qui iterùm Marci XII. ita ait: *Modò autem nostri Sacerdotes & Scribæ domos viduarum comedunt, non sub obtentu longæ orationis, sed sub violentia apertæ deprædationis.* hæc Albertus. Sed hic adhuc duriùs loquitur ex zelo quibusdam peruersis: nam Amos VII. vbi dicitur quòd Amasias sacerdos misit Bethel ad Ieroboam Regem Israel accusans Prophetam Amos prædicantem contra vitulum aureum quem Rex erexerat, sic adiungit post Textum, dicens: *Simile quid factum est Domino, & fit adhuc suis à Pontificibus. Ioannis* XI. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.*
& post

& post pauca: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani vt tollant nostrum locum & gentem. Similiter Prædicatores veritatis à Pontificibus, ne in suis Episcopatibus prædicent, eiiciuntur. 1. ad Thessal. 11. Eadem passi estis à contribulibus vestris, sicut & ipse Dominus à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos loqui gentibus vt salua fiant, vt impleant peccata sua semper: peruenit enim ira Dei in eos vsque in finem. hæc omnia & alia multa Albertus contra eos qui prohibent Prædicatoribus verbum dicere veritatis. Ob huiusmodi autem zelum Alberti, Prælati multi, qui veri Pastoris satagunt subsequi vestigia, eiusdem beatissimi viri non cessant magnificare iustitiam & fortitudinem, pronuntiantes sedem Dei in ipsius anima collocatam fuisse firmissimè, & præsidentis potentia stabilem, nulli valentem cedere vitio eumdem, affirmant indubiè. Non autem hunc zelum doctrinando in paucis locis seruat, sed tam copiosè, vt nemo sit dubitans qui legerit Alberti libros, quin

dolore tactus fuerit intrinsecus super contritione Ioseph. Inde multi dicunt dilatam esse Canonizationem ipsius ob malorum Prælatorum resistentiam, ne dum tali honore sublimatus, magis authentica fieret doctrina viri iusti, & eorum iniquitas pateretur ruinam. Vnde cùm beatus Thomas eius discipulus Sanctorum adscriberetur Catalogo, de Alberti etiam Canonizatione, vt aiunt, tractabatur; licet propter negligentiam Fratrum, qui causam non agitabant, prosecutione careret. Nec ob huiusmodi dilationem Canonizationis, vel etiamsi Sancti omnino ab Ecclesia inter Canonizatos non habentur, minoris sanctitatis sunt reputandi; cùm esse possit, & probabile multùm sit, plures non canonizatos Sanctis canonizatis aliquibus in beatitudine esse excellentiores, & ex vitæ merito maiora posse impetrare. vnde Dominus Antoninus in sua Chronica titulo xxiii. tertij voluminis, sic inquit: *Quantum autem nobis, qui tenebris inuoluimur, permittitur iudicare de Sanctis per coniecturas & præsumptiones ex Gestis eorum, arbitror ambigere neminem, plurimos Beatos vtriusque*

quæ sexus non canonizatos ab Ecclesia, imò nec nominatos; non fuisse minoris meriti & inferioris gloriæ multis Catalogo Sanctorum adscriptis. Non enim Canonizatio adiicit ad meritum vel præmium essentiale Beatorum, nec decernit sanctitatis gradum, sed venerationem temporalem & gloriam; vt post ipsam possit solemniter Officium celebrari & festiuari, quod aliàs fieri non debet. hęc Antoninus. Nec interdicitur tamen ab Ecclesia, imò ipsa admittit Sanctis non canonizatis porrigere preces in priuato, si probabile est Sanctos tales beatos esse, quemadmodum recitat præfatus Dominus Antoninus in tertia Parte suæ Summæ titulo XII. cap. VIII. & idem tenet Innocentius. Vt autem faciant miracula Sancti, de necessitate in nobis aliqua requiruntur, scilicet fides & deuotio. Vnde ipse Albertus in Postilla super Lucam circa illud vndecimo, *Erat Iesus eiiciens dæmonium*, sic ait: *Fides & deuotio expostulant & impetrant miraculum: per ista enim virtus Altissimi obumbrat fidelibus, sicut obumbrauit beatæ Virgini. Quantumcumque enim virtus sit in Saluatore, non operabitur in nobis*

nisi iungatur nobis per fidem & deuotionem; sicut medicina in pyxide, quæ non operatur nisi suscipiatur in corpus & naturam ægrotantis, nihil penitus operatur. hæc Albertus. Sed & aliud quandoque obstat ne miracula fiant per Sanctos, scilicet malitia hominum, ita quòd digni non sunt iuuari per Sanctos: quod idem Albertus notat super Iob, circa
Iob 5. illud, *Ad aliquem Sanctorum conuertere.* vbi sic dicit: *Sanctos in afflictione coadiutores non habes, quos in hilaritate socios non habuisti.* hæc ille. Imò quandoque Sanctorum reuelatio differtur propter occultas alias causas soli Deo notas, qui fortè, quando maioris necessitatis est in Ecclesia, vt fides & deuotio populi excitetur, vult Sanctos suos honorare; aut cùm necesse sit, malos nouis exemplis Sanctorum emendare, vel eorũ instrui doctrinis. Legimus enim de magnis Sanctis, etiam non nisi post multos valdè annos esse inuentos, vel miracula fecisse, vt de beato Barnaba legitur, similiter & de sancto Quintino martyre, atque de sanctis Cassio & sociis eius in Diœcesi Coloniensi. Alios etiam diu valdè post obitum canonizatos, vt sanctum

ctum Stanislaum Episcopum & martyrem Cracouiensem, qui vltra ducentos annos iacuit antequam canonizaretur. Et ideò non mirum quòd Albertus hic venerabilis non sit canonizatus: possumus tamen veraciter dicere, quòd ea quæ de ipso bona scribuntur, & in ista Legenda notantur, excellentiora sunt, quàm multa quæ de variis Sanctis canonizatis leguntur: imò & plura sunt respectu illorum quę de nonnullis Sanctis scribuntur. de quibus possemus hîc enumerare aliquos: sed transeundum est, quia comparationes odiosæ sunt.

CAPVT XXIX.

De tribulatione quam sustinuerunt Fratres Prædicatores & Minores, & qualiter liberati sunt diuinitus ab illa; atque de visione mirabili ostensa de Alberto.

REVOLVTO autem tempore quo Albertus venerabilis Prouincialatus officium administrabat in Teutoniæ Prouincia, Coloniensi studio, quod secundùm Ordinis morem semper Ge-

 nerale

nerale extitit, assignatur pro Lectore; in quo sicut priùs Fratres moribus & scientia instrueret, vitæ sanctæ exempla omnibus præstabat abundè. Sed quia Deus omnipotens quos amat castigat vt in melius proficiant, tentationem perualidam Fratribus duorum Ordinum, videlicet Prædicatorum & Minorum, aduenire permisit illo in tempore: de qua Alberti merito proculdubiò & prærogatiua donorum liberati sunt, vt subsequens narratio & visio ostendunt, quæ nobis Frater Thomas Brabantinus, Auctor Libri Apum sæpè nominatus, fideli testimonio describit in hunc modum: *Quidam autem*, inquit ipse Frater Thomas in Libro Apum, *huius temporis Apostolicæ Sedis Antistes, cùm litteras dedisset contra Priuilegia à seipso & suis Prædecessoribus quatuor Apostolicis obtenta duorum Ordinum, scilicet Prædicatorum & Minorum, eadem die paralysi percussus obmutuit, nec vmquam posteà conualuit aut surrexit; qui etiam à quodam sanctissimo viro extra muros vrbis Romæ manifestissimè visus est mortuus dari sanctis Dei Dominico & Francisco iudicandus: litteras verò datas*

Alexan-

Alexander successor ipsius consilio fratrum Cardinalium solemniter reuocauit. Quod vtique necessarium fuit, cùm certum erat quòd si processum suum machinatio per prædictas litteras habuisset, potentissimi Reges orbis, vt audiere posteà Papale mandatum, cum iuramento dixerunt sibi & Prælatorum & Clericorum sæcularium possessiones & redditus vsurpasse, si dictos duos Ordines Apostolicus destruxisset. Huius crudelissimi edicti quatuor præcipuè Magistri fuerunt Parisiis incentores, qui simplicitatem Scholarium contra dictos Fratres feraliter concitarunt in tantum, vt nisi se piissimus ac deuotissimus Ludouicus Francorum Rex & frater eius piissimus Comes Pictauiæ Alfonsus murum pro Fratribus posuissent, abdicatos Fratres rebus & corporibus exterminassent. Hinc cùm nihil aliud facere potuissent, litteras infamatorias plenas mendaciis contra dictos Fratres per diuersa Regna miserunt, post has & Librum nefandissimum compilauerunt, qui sic incipit, Ecce videntes clamabunt. titulum habens, De periculis nouissimorum temporum; in quo spiritu vesano dictos duos Ordines destruere nitebantur. Qui liber qua-

liter citatis & vocatis ad Curiam & præsentiam Summi Pontificis dictis Magistris damnatus sit & combustus non solùm in ipsa Curia, sed & Parisiis coram Vniuersitatis multitudine copiosa, scire poterit qui Collationes & Disputationes legerit, præcipuè contra Magistros quatuor aduersarios, disputationesque Domini Hugonis Presbyteri Cardinalis Fratris Ordinis Prædicatorum, Domini Richardi & Domini Gaietani, & aliorum Cardinalium plurimorum; necnon Allegationes venerabilis Patris Fratris Humberti Magistri Ordinis Prædicatorũ; sed & Fratris Bonauenturæ Generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, & maximè Magistri Alberti Fratris Ordinis Prædicatorum, viri doctissimi, ad hoc specialiter à Domino Papa vocati, & aliorum Prælatorum disputationes prolixas habitas Anagniæ coram multis; & in ipsis inuenire poterit rerum gestarum enucleatissimam veritatem. Quapropter iam dicti Magistri Fratrum aduersarij dignitatibus & beneficiis omnibus sunt priuati, donec iurarent reuocare Parisiis & in aliis ciuitatibus verecundæ prædicationis verbum, & quidquid contra dictorum Ordinum Fratres impli-

implicitè vel explicitè euomuissent. Antequam autem venerabilis Albertus Curiam Romanam intrauerat, Magister VVilhelmus præcipuus auctor tanti mali cum suis complicibus miro modo Clerum Romanum necnon & populum in partem suæ peruersitatis seduxerat multis verbis. Sed post præfatas Disputationes cùm ad petitionem Domini Papæ & omnium Cardinalium ipse Magister Albertus Euangelium Ioannis totaliter & Epistolas Canonicas miro & inaudito modo supra omnem hominem exponendo legisset, cum tanto fauore negotium Fratrum Prædicatorum & Minorum terminatum est & conclusum, vt omnes inimici eorum obstupescerent & horrerent, & veritatis fautores summa pace conquiescerent & gauderent. Quid autem super hoc cuidam sancto viro, duobus annis antequam disceptatio fieret, ostensum est, in medium referamus. Venerat quidam Præpositus Ordinis Regularium de Bauaria ad Curiam Romanam pro negotijs quæ habebat. Vna ergo die cùm oraret in Ecclesia sancti Petri, in excessu mentis raptus, vidit ipsam Ecclesiam plenam serpentibus, quorum horribili sibilo non tantùm Ecclesia, verùm etiam

tota Roma replebatur: sicq; vir sanctus cùm territus esset, vidit virum in habitu Ordinis Prædicatorum Ecclesiam introëuntem; quem cùm stuperet incognitum, dictum est ei responso diuino, quoniam Albertus vocaretur. Hunc ergo Fratrem dicti serpentes sibilis importunis aggressi, inuoluebant se pedibus eius & brachijs, pectori quoque ac totius corporis membris; de quorum medio se viriliter ac violenter excutiens, ascendit cathedram in qua sanctum Euangelium diebus solemnibus legi consueuit, & legit in ea Euangelium secundùm Ioannem vsque ad illum locum, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; statimque serpentum sibilus conquieuit, serpentes fugati sunt, & pax reddita est vniuersis. Hæc igitur quid significarent vir sanctus ignorans, in terram suam reuersus est, & sorori suæ cuidam sanctæ reclusæ quid sibi Romæ reuelatum fuerat indicauit. Cui illa, vehementer exultans, Ecce, inquit, audiui quòd ille Albertus qui tibi in visione fortè monstratus est, nuper Comiti de Othenheim prope terram istam locuturus aduenit. Et Præpositus non modicè gauisus in verbo, Vadam, inquit, & videbo quis sit; spero enim quòd adhuc faciem eius ex dicta

cta

cta tibi visione cognoscam. Et hæc dicens, properauit videre virum, & ex certissimis signis staturæ, faciei, coloris, & paruæ maculæ quam habebat sub palpebra, hominem recognouit. Indicauit ergo vir beatus dicto Magistro Fratri Alberto modum quem viderat visionis; sed neuter quid significare posset agnouit. Accidit autem posteà vt facta dissensione inter vniuersitatem Cleri Parisiis & Fratres Ordinis Prædicatorum atque Minorum, citatisque partibus coram Domino Papa, ipse Apostolicus Magistrum mandaret Albertum: antequam iter vellet arripere, experiri forsitan volens præfatæ visionis effectum. Nec eum fefellit, vt suprà dictum est, facta ænigmatica reuelationis veritas prophetalis; imò secundùm ordinem ostensæ rei omnia contigerunt. Hæc omnia de verbo ad verbum ex Libro Apum prædicto.

Ex his præfatis colligimus, venerabilem Albertum non parui meriti apud Deum existere, qui prophetica visione Deo reuelante cum sanctis Euangelistis meruit, vti potens opere & sermone, designari, dum malignantium serpentum se excutiendo è medio vires calcat, & quasi benè redolens vinea odore vir-

tutum, illorum præſentiam fugat, atque venenatos ſibilos ſuo ſpiritu ſedat, oues Chriſti à morſibus demens mortiferis, ſecuritatem inſuper pacis omnibus optatam præbens. Quanto autem honore dignus ſit, clarè rei geſtæ ſeries & diuina reuelatio aperiunt: quia licet plures magni dignitate, vt Cardinales; meritoque ſingulares, vt Hugo, Bonauentura, Humbertus, ac ceteri vnà cum Alberto obſtiterunt in pugna peſtiferis Magiſtris; oraculo tamen diuinitus dato, vni ſcilicet Alberto, tamquam principaliori, tam celebris adſcribitur victoria. Cum Abraham enim magno patre expediti ad bellũ procedunt vernaculi, ſed patris excelſi merito quinque Regum cæditur exercitus: nec ſpoliorum copia ceſſiſſet vernaculis, ſi pater magnus Abraham abſens fuiſſet prælio. Poterat nihilominùs & hanc ſalubrem victoriam per Albertum Omnipotens non præmiſſa viſione in ſancta Eccleſia pro multorum ſalute operari; ſed oraculo nos de Alberti merito & dignitate docere voluit, quatenus nobis eumdem non tantùm in virtutis proponeret ſpeculum, ſed & declararet

ex merito existere patronum. Licet & aliud venerabilis Alberti in laudem ex ipsa visione notari posset non incongruè, videlicet, verum ipsum sui patris non tantùm habitu, sed & conuersatione esse heredem: vt sicut Patri Dominico & sibi sociato Francisco iudiciaria ob Apostolicam vitam in Pontificem data est potestas, ita Alberto Euangelicæ perfectionis zelatori in sæuientes vesano spiritu Magistros collata est præ ceteris superandi facultas. Nec mirum, cùm idem præfatus Auctor Libri Apum in eodem Libro dicat, cauendum esse summopere à detractione in filios Matris Christi, quos Fratres Prędicatores intelligit, ne iram patrocinantis & defendentis Virginis quis cum prædictis incurrat. Affirmat enim ipse idem Auctor, circa iam dictam visionem aduersarios pręfatos Magistros sustinuisse confusionem, quia in Fratres Prædicatores iniustè sæuierunt; qui tunc specialissimam deuotionem ad Virginem Dei Genitricem habuerunt, de cuius patrocinio ex sua tribulatione sunt erepti. Decuit ergo, vt Virgo gloriosa & superbenedicta Domina Maria, Fra-

Fratrum Patrona singularis, dum hostes suorum filiorum perdere voluit, non nisi per Alberti Secretarij & Scribæ manum plagam tantæ confusionis eisdem inimicis inferret.

CAPVT XXX.

Qualiter disputauit Albertus contra VVilhelmum de sancto amore, & eius complices; & de gratia in labiis Alberti infusa diuino munere.

De ipso autem Wilhelmo præfato infamatore Fratrum Prædicatorum Frater Iacobus de Zuzato Magister in Theologia Ordinis Prædicatorum ad Magistrum Ordinis in sua Chronica clariùs scribit in hunc modum: *Libellus*, inquit, *De periculis nouissimorum temporum, compositus à Magistro VVilhelmo de sancto amore, Canonico Belluacensi, damnatus & combustus est per Papam Alexandrum Quartum in Ecclesia Cathedrali Anagniæ; tum propter hæreses quas continebat; tum etiam propter hoc quòd contra Religiosos seditionem & scandala concitabat. Continebat enim*

enim quòd omnes Religiosi non laborantes, sed de eleëmosynis viuentes, saluari non possent. Contra hunc cùm citatus esset ad Papam, ad Curiam Frater Albertus Teutonicus de Ordine Prædicatorum mittitur, ad respondendum ei de contentis in dicto Libello. Veniens autem Albertus Anagniam, vbi tunc erat Curia, cautelosiùs inuestigabat de Libello dicto si quisquam eum haberet: compertoque quòd apud scriptorem esset, dedit pecuniam quam scriptor requisiuit, & Libellum excopiari fecit. Habuit igitur dictum Libellum integrum Albertus per diem vsualem & noctem ante Consistorium super ea causa futurum. Cumque Liber legeretur, & Albertus, sicut erat facundissimus, responderet; in labiis eius tanta gratia diffusa est, quòd omnes qui eum audierunt afficerentur stupore, glorificabantque Deum qui talem hominem ad hoc elegerat vt Ordines suos sanctos à linguis nequam per ipsum defensaret. Responsiones autem Alberti factas in Consistorio super obiectis, fideliterque reportatas, sanctus Thomas Aquinas abbreuians & in vnum redigens, ex eis Librum gratiosum compilauit, qui iam intitulatur, Thomas

con-

contra VVilhelmum. hæc Magister Iacobus præfatus in dicta sua Chronica.

CAPVT XXXI.

De exemplo quod retulit Albertus Fratribus causâ ædificationis: & quòd in omni necessitate inuocandum sit diuinum auxilium.

SED certè congruum valdè fuit vt in Alberti labiis esset diffusa gratia specialis, eò quòd ipse in matre gratiæ Genitrice Dei singularissimam, vt ipsemet refert in Laudibus Virginis, habebat: vnde non tantùm doctrina & suo exemplo nos admonet in Deum & Virginem gloriosam habere confidentiam in omni euentu, verùm & aliorum Fratrum exemplo nos instruit in huiusmodi, ne quisquam diffidat de patrocinio, si orationi institerit firma confidentia. Refert ergo nobis Pater hic venerabilis Albertus in Vitis Fratrum Prædicatorum, quarta Parte, cap. De consolationibus Fratrum, quòd cùm ipse Prior Prouincialis Teutoniæ esset receptus, fuit quidã Nouitius insufficiens scientia

tia & ætate, licet suppleret deuotio & alia bona quod deerat illi. Hic cùm Fratres ei comminarentur ludo, quòd Prouincialis eum expelleret de Ordine Prædicatorum; ipse quia hoc vltra modum timeret, contigit vt in nocte Purificationis verba illa Simeonis attenderet, quæ Ambrosius in Homilia ponit, scilicet, *Putas videbo? putas durabo? putásne hîc me inueniet? putas isti oculi videbunt per quem oculi cordis reuelabuntur?* vnde miro modo affectus, post Matutinas se ad orationem prosternit; & totus resolutus in lacrymis, illa verba retorquere cœpit ad se, dicens: Domine Iesu, putásne te vmquam videbo? putásne in Ordine isto durabo? Cùm ergo mira cordis affectione verba illa frequentissimè diceret, audiuit vocem dicentem sibi: Tu me videbis, & in Ordine isto perseuerabis. Hoc autem exemplum pro Fratrum ædificatione, vt Dei adiutorium in omni necessitate requirerent deuotiùs, retulit Albertus Fratribus suis; non ignorans quòd scriptum sit: *Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* Ierem. 17.

CA-

CAPVT XXXII.

De erroribus quos damnauit Albertus tam scriptis quàm disputationibus.

FACTA autem est præfata disputatio & victoria per Alberti manum Dei adiutorio sub Alexandro Quarto, qui cœpit anno M. CC. LIV. & sedit annis septem, mensibus tribus, diebus quatuor; de quo in Chronicis manifestè etiam inuenitur, eumdem damnasse Libros contra Religiosos Mendicantes factos, in quibus & continebatur eos debere perire anno Domini M.CC.LX. sed illorum Pseudoprophetarum dicta falsitate esse plena, euidentia contrarij euentus probat, cùm vsque ad nostra tempora, Deo fauente, in salutem multorum Ordines Mendicantium constat durare. Sed quòd ipse Albertus vicerit hunc præfatum Wilhelmum cum suis complicibus, notatur non tantùm per præfatorum Scriptorum testimonia, sed etiam ipsius Alberti verbis, vt patet Lucæ XXI. circa illum Textum, *Vidua hæc*

hac pauper plus quàm omnes misit. vbi sic inquit Albertus in Postilla: *Istud est valdè contra illos qui dicunt quòd peccant qui omnia relinquunt, & posteà mendicant; quia expressè laudatur vidua quòd totum victum misit; quæ pro certo totum victum non dicta esset mittere, si aliunde victum nisi ex mendicatione posset habere*, &c. Sed adhuc apertiùs loquitur idem Albertus de Wilhelmistis super Matthæum, circa illud, *Sed libera nos à malo*, in hunc modum sermonem prosequens: *Dixit tamen Christianus Belluacensis, quòd aliquando in ista petitione Ecclesia exauditur quia ante finem mundi Sancti erunt sine originali, & Christus cum eis corporaliter comedens & bibens, & liberi ab omnibus malis per mille annos. Sed iste error ab ipsomet, & à nobis, & aliis multis condemnatus est.* hæc Albertus. Fuit autem iste Christianus vnus ex quatuor Magistris præfatis qui concitauerunt Clerum contra Mendicantes, sicut testatur Frater Thomas, Auctor Libri Apum, de eodem sic inquiens: *Postmodum vnus ex quatuor Magistris aduersariis Fratrum, nomine Christianus Belluacensis, infirmatus, amarissimo corde con-*

contritus recognouit, nihil se & complices suos contra dictos Fratres habuisse, nisi quòd eis æquari scientia non valeret, & ob hoc paruipenderent eos Auditores. hæc in Libro Apum.

Sub iam præfato Papa Alexandro & alium pestiferum destruxit Albertus venerabilis errorem; nam in Summa sua mirabilis scientiæ Dei, Parte secunda, vbi tractat de anima, dicit errorem nimis periculosum extitisse & inualuisse suo tempore de vnitate intellectus, dicentium quòd vna sola anima intellectualis sit in omnibus corporibus. de quo errore ibidem inter multa alia ita dicit Albertus: *Hic error Auerrois habet tres partes, & nimis periculosus est, habetque multos defensores: & quia defensores huius hæresis dicunt, quod est secundùm Philosophiam, licet fides aliud ponat; & ideò oportet quòd secundùm Philosophiam destruatur.* hæc ille: qui in eodem loco, postquàm ad longum disputauit destruendo hanc hæresim fortissimis rationibus, sic in fine adiungit hæc verba, ita dicens: *Hæc omnia aliquando in Curia collegi existens ad præceptum Domini Alexandri Papæ, & factus fuit idem*

Libel-

Libellus quem multi habent, & intitulatur, Contra Auerrois. hæc Albertus de se dicit in Summa. Tractatus autem sic intitulari solet: *Albertus contra eos qui dicunt post separationem non remanere ex omnibus nisi vnum intellectum & vnam animam.* cuius Tractatus initium est istud: *Quoniam apud nonnullos qui Philosophiam profitentur, dubium est de animæ separatione,*&c. Insuper notandum est, quòd idem error Auerrois iterùm pullulauit Parisiis post mortem Alexandri, ita vt magni Doctores ibidem contra Auerroistas frequentiùs disputarent: quorum disputatio per Alberti sententiam robur accepit, licet absens esset corpore: vnde quidam Frater Prædicatorum Ordinis ipsi Alberto Quæstiones XI. in epistola misit de errore iam dicto, vt suam mentem etiam super ijs explicaret; quod & fecit. Est autem tenor epistolæ iam dicti Fratris ad Albertum iste: *Venerabili in Christo Patri ac Domino Alberto, Episcopo quondam Ratisponensi, Frater Ægidius Ordinis Prædicatorum, licet indignus, cum salute glorificare Deum in doctrinis. Articulos quos in Scholis proponunt Magistri Parisiis,*

fiis, qui in Philosophia maiores reputantur, vestræ Paternitati, tamquam vero intellectu illuminato, transmittere dignum duxi, vt eos iam in multis congregationibus impugnatos vos otio vestri imperij terminetis. Primus est, quòd intellectus omnium hominum est vnus & idem numero, &c. hæc epistola Fratris, quæ continet & alias Quæstiones. Tractatus verò Alberti super has Quæstiones vndecim notus est, cuius initium est istud: *Intellectus hominis*, &c. & præfata epistola Fratris Ægidij præmittitur eidem. Quando autem iste error pullulauit iterùm Parisiis, ex præfati Fratris Ægidij verbis notari potest, quia scribit Alberto dictam epistolam postquam resignauerat Albertus Episcopatum. hæc autem resignatio quando fuerit, in sequentibus patebit. Præter hos autem errores venerabilis Albertus varios in suis Libris impugnat: de quibus saltem aliquos notare dignum duxi, vt sciatur quantum ipse sua doctrina Ecclesiæ præstitit. Nam contra Manichæos ponentes duo principia, vnum bonorum, aliud malorum; propter quam etiam hæresim beatus Petrus Mediolanensis

Præ-

Prædicatorum Ordinis illo in tempore martyrizatus eſt; Albertus ad longum diſputat in prima Parte ſuæ Summæ, vbi latiſſimè loquitur de bono, & eius oppoſito, ſcilicet malo: ponitque ibidem quòd habeat ortum ab antiquo Pythagora, & quòd defenſores huius erroris ſe defendunt ex Scriptura malè intellecta. Item in eadem Parte Summæ, vbi de ſimplicitate diuinæ eſſentiæ determinat, eliminat aliam hæreſim, confutando potenter illos, qui Deum ponebant eſſe animam mundi; & aliam hæreſim, quæ ponebat Deum eſſe materiam primam; de qua hæreſi dicit inter alia, quòd non eſt tantùm contra fidem, ſed & contra Philoſophiam, & abſurdiſſimum quid. In ſecunda autem Parte de eadem hæreſi contra Dauid Dinandi auctorem hæreſis huius diſputans & conuincens, dicit hunc errorem eſſe in ſuo tempore renouatum, quamuis ſit peſſimus & abominabilis; dicitque ſequaces illius erroris auctoritates Sanctorum non recipere, & ideò Philoſophicè eſſe contra eos diſputandum: quod & facit egregiè, rationes eorum ex Philoſophia & Poëtis addu-

ctas soluens. Hic etiam error, imò hæresis, in tantum inualuit tunc, vt Albertus refert in eodem articulo; quòd discipulum quemdam præfati Dauid nomine Baldewinum contra se disputasse dicat; cuius tamen rationes fortiores dicit esse viles. Quæ omnia qualiter sunt Philosophicè per Albertum in dicta secunda Parte interempta, inuenies circa illam Quæstionem, vbi quærit an hæc duo compossibilia sunt secundùm intellectum; scilicet, quòd mundus à Deo sit factus, & tamen duratione hoc modo sit æternus, quòd duratio eius initium non habuerit. Item alium errorem hæreticum damnat in secundo scripto, distinctione VI. quem dicit esse vnum de erroribus Græcorum modernorum, scilicet quòd nullus descendit in infernum vsque ad diem iudicij; & ideò ibidem dicit ampliùs esse disputandum contra illum. Quas Disputationes ibi inuenies, & quòd initium sumpserit ex errore Platonicorum dicentium secundam & tertiam generationem. Insuper ibidem hunc errorem Platonicorum similiter damnat, & vnde habuit occasionem dicit: vbi etiam inue-

inuenies quòd somnium Scipionis super illo fundatur errore. Alium errorem eliminat ab Ecclesia in tertio scripto, distinctione XXII. illum videlicet, quòd ascensio Christi non dicat motum localem; quod apertè est contra sacram Scripturam. Item in Libro de Eucharistia alios errores periculosos multos damnat: vnum qui dicit, quòd Christus non continetur tam sub forma panis quàm vini veraciter: de quo ait, quòd non est error, sed hæresis manifesta, & liber deberet comburi vbi hoc reperitur: de quo errore sic prosequitur inter alia: *Quamuis*, ait, *ipsi tales hæretici respondeant ad omnia obiecta aliqualiter modis responsionis, tamen nullus Christianus debet de huiusmodi penitus curare; sed constantissimè dicendum est, quòd hæretici sunt qui tenent illam opinionem, quia pro certo nulla Catholica responsio ad ea quæ obiecta sunt potest adhiberi: vnde illam opinionem hæreticam pronuntiamus. Et si dicitur quòd in Decreto & Sententiis continetur; dico quòd in his Libris non continetur vt determinata veritas, vel sicut opinabilis probabilitas; sed sicut per disputationem condemnanda hæ-*

retica falsitas. Tamen in scientia Sacramentorum non multùm attendenda est sententia Decretistarum, quia pro certò multa falsa de talibus scribunt & dicunt, eò quod sunt homines ignari in sacra Scriptura, nescientes originalia Sanctorum; nec possunt nisi peccare, docentes in fide Catholica quæ ignorant. hæc Albertus. Ex his verbis Alberti non paruam instructionem sumere possumus, cùm nobis innotescit quòd multi docent quę ignorant, & ideò benè notandi sunt huiusmodi Doctores docentes quæ non didicerunt: plures enim nostro tempore sunt qui potiùs Rabbi vocari maluerunt quàm esse; quibus nec ignorantia verecundiam adducit, nec præsumptuosa audacia, qua vsurpant quod non debent, incutit timorem. Tales enim in periculum animarum suarum & aliorum docent; & quanta mala eueniunt inde, notent sapientes. Benè ergo beatus Iacobus dicebat: *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quia maius iudicium sumitis.* Aliam quoque in Libro de Eucharistia damnat Albertus opinionem; illam videlicet quæ dicit, in Sacramento Altaris, substantiam panis

Iac. 3.

& vini manere cum Corpore Chriſti. De hac opinione rationes fortes & ſigna quæ inducuntur à defenſoribus opinionis illius Albertus ſoluit, & falſitatem opinionis ex verbis Domini oſtendit; ſubiungitque quòd licet non ſit hæreſis, eſt tamen valdè incauta, & hæreſi valdè vicina. Item in ſecunda Parte mirabilis ſcientiæ Dei, circa finem, vbi agit de peccatis, interemit hęreſim, quæ dicit coitum ſoluti cum ſoluta non eſſe mortale peccatum: quam hæreſim dicit eſſe Græcorum. Sed ipſe ibidem validis rationibus ſacræ Scripturę & Philoſophicis eos vincit, dicitque Græcos fuiſſe coactos reuocare ſuum errorem in Concilio Lugdunenſi. Sed & ipſe Albertus in Lugdunenſi fuit Concilio, vt infrà habetur; deſtruxitque alios varios errores, de quibus omnibus enarrare breui non poſſet quis tempore. ſed & mirabiliter reprehendit in Libro ſuo de Euchariſtia illos qui Philoſophicis rationibus volunt diſcutere ſecreta ſacræ Theologiæ, dicitque eos committere tria & quatuor ſcelera, adducens Amos Prophetam, qui loquitur de tribus & quatuor ſceleribus. Quæ

autem ſunt ſcelera iſta, in præfato Libro Alberti egregiè inuenies, quæ hîc cauſa breuitatis omiſſa ſunt. Factum igitur eſt non ſine ſpeciali ordinatione diuini conſilij, vt Doctor hic mirabilis in omni ſcientia ſingularis excellentiæ tunc Eccleſiæ mitteretur, cùm ipſa variis erroribus quaſi nebuloſa caligine inuoluebatur, quatenus tanti luminis radiis vndique effuſis lux veritatis per orbis latitudinem cunctis verum deſiderantibus redderetur. Et quia de tot erroribus Albertus ſanctam Eccleſiam, gratia Dei adiutus, eripuit; eueniſſe dicitur, quòd ex Ordine Fratrum Prædicatorum Lector Sacri Palatij ſemper habetur, eò quòd inter Mendicantes Albertus propter excellentiam ſcientiæ & victoriam iam dictam primus fuerit. Sed hoc inſuper ex ſuprà dictis notandum eſt, quòd quia venerabilis Albertus contra vitioſos ſingulariter certauit verbo & ſcripto; nulli ambiguum, quin & ipſe præ aliis Fratribus à malis tela infamiæ eſt expertus: nam tunc tribulatio tanta fuit, vt pænè Fratres deſperarent de ſubſiſtentia Ordinis: de quibus omnibus
multa

multa adducere poſſem, niſi breui-
tas, cui intendo, obſiſteret. Hæc au-
tem tribulatio iam dicta, qua Fratres
vexabantur permaximè, fuit infamatio
quam ſuſtinebant à Clericis quibuſ-
dam, vt ſuperiùs dictum eſt per Fra-
trem Thomam in ſuo Libro Apum: qui
teſtatur, quòd cùm nihil aliud facere
poterant, litteras infamatorias plenas
mendaciis contra Fratres per diuerſa
Regna miſerunt. Vnde autem proceſſit
odium illorum, ex ſupradictis notatum
eſt: nam quidam oderant, quia ſcientia
æquiparari non poterant Fratribus Do-
ctoribus in Ordine, quales fuerunt Al-
bertus, Hugo, Gwerricus, ſanctus Tho-
mas, Petrus de Tarentaſia, & alij multi.
Alij autem odij ſeminarium habuerunt
ex audientia confeſſionum, quæ com-
miſſa fuerat Fratribus, quatenus in hu-
iuſmodi labore adiutores eſſent Paſto-
rum in Eccleſia Chriſti. Sed tales adiu-
tores, vtique neceſſarios, quidam ex-
cæcati neſcio quo ſtercore, videre non
poterant; quare turbati, diuerſo ge-
nere infamationis Fratres lacerabant:
vnde quidam, dum nil probabilis ma-
li Fratribus imponere poterant, illo

in tempore quo Fratres primitus Coloniæ locum ad habitandum ſuſciperent, ſuggeſſerunt Reuerendiſſimo Domino Archiepiſcopo Colonienſi Domino Engelberto Primo, dicentes mendaciter, tamquam de dictis Fratribus prophetatum eſſet, quia ipſi eſſent ſeductores populi. Sed ille vir ſapiens & amator Religionis, contemnens ipſorum mendacium, reſpondit: Si prophetatum eſt, ergo impleri neceſſe eſt Prophetiam. recipiamus igitur illos. Maluit enim ipſe in verbi Dei prædicatione, vtpote ſtrenuos milites Chriſti, cooperatores habere Fratres, quàm offenſam temporalem vanorum hominum malè ſuggerentium timidè declinare. Amabat quippe ipſe venerabilis Antiſtes, vti verus paſtor, inferentes paſcua ſalutis ſuo gregi: imò & ipſe paſtoris officium non deſerens, dum Eſſendienſe Monaſterium ad reformationem morum reducere modis omnibus laboraret, inſidioſè à nobilibus quibuſdam, in hoc non nobilibus, propter ſuam religioſitatem in via diris vulneribus ſauciatur, occiditur, ac in Eccleſia ſancti Petri ſepelitur, miraculis

vt

vt fertur coruſcando. Poſtquam verò recepti fuerant Fratres gratiosè, non tamen defuit ſatan, quin ſuis malitiæ iacula miniſtraret: vnde circa Alberti tempora, cùm quidam Legatus miſſus fuiſſet in Alamanniam, *contigit*, ſicut refert Frater Thomas in Libro Apum circa principium, *vt ille Cardinalis Legatus, nomine Conrardus, in Colonia præſideret in Synodo, cui quidam Sacerdos Parochialis conqueſtus eſt, dicens: Ecce Fratres Ordinis Prædicatorum, qui in damnum noſtrum Coloniam intrauerunt, falcem mittunt in meſſem alienam, audiunt confeſſiones ſubditorum noſtrorum, & per hoc attrahunt ſibi homines in fauorem. Cui mox Conrardus Legatus reſpondit: Quis eſt numerus hominum tibi in Parochia ſubditorum? Et ille, Nouem millia, inquit. Et conſignans ſe Cruce Legatus, Quis es, ait, miſerrime, qui tot millibus ſolus ſufficis debitã gubernationis curam impendere? Neſcis hominum perditiſſime, quia in illo debes tremendo iudicio ante tribunal Chriſti de ijs omnibus reſpondere? Et tu, ſi tales habes vicarios, querularis, qui onus tuum gratis releuent, ſub cuius pondere neſcius conquaſſaris? Ergo*

ex hac querela indignum te cura omnimoda iudicasti, & ideò priuo te omni beneficio Pastorali. hæc in Libro Apum. Sed & ipse Albertus aperit, quare huiusmodi Fratres dati sunt in adiutorium Parochialibus Sacerdotibus, vt patet in quarto suo scripto, distinctione XVII. vbi sic ait: *Et si data est licentia quibusdam audiendi eos quos monent verbo suæ prædicationis, firmissimè credendum est, quòd propter nimiam Sacerdotum negligentiam hoc Summus Pontifex dedit; quia peccatis nostris crescentibus in hoc fine sæculi, & perpauci inueniuntur Sacerdotes qui veri sint Pastores.* hæc Albertus: qui consequenter ibidem adiungit, etiam esse periculosum petere licentiam alteri confitendi à plerisque Sacerdotibus. Similiter quæ ipse expertus est, & quàm periculosum est audire confessionem, si inidoneus sit audiens, ab ipso positum ibi reperies. Ex suis etiam verbis in eodem scripto clarissimè inuenies, ipsum Albertum non parum laborasse in confessionem audientium. Tantæ autem contra vitiosos, cùm necessitas requirebat, austeritatis in iniungendis pœnitentiis Albertus

exti-

extitit, ſicut de ipſo Frater Ioannes Columbarienſis, qui conuerſationem eius nouerat, refert in ſua Chronica, vt ſeptennem pœnitentiã imponeret pœnitenti duram ſatis; ſciens quos aqua contritionis ſufficienter mundare non valet, lima aſperæ increpationis à rubigine exuens ad puritatem perducit. Nec vtique huius onus ſuſcepiſſent pœnitentiæ peccatis obnoxij, niſi ſua prædicatione ignita Albertus ſingularis perfectionis illos inclinaſſet.

Prę́fata autem tribulatione & infamatione ceſſante, ſcripſit Magiſter Humbertus anno Domini M.CC.LVIII. ex Capitulo Generali Toloſæ celebrato litteras toti Ordini cui præerat, vt refert Frater Bernardus de caſtris ſancti Vincentij in ſua Chronica; monens omnes Fratres, quatenus iam deuotiùs Dei operi inſiſterent, quia eſſent liberati de tam magna vexatione, qua totus Ordo tribulabatur: fuerant namque ob hanc tempeſtatem non modicè Fratres in ſeruitio diuino præpediti.

CAPVT XXXIII.

Quòd Albertus coactus per obedientiam Episcopatum suscepit: & de Epistola Humberti, in qua multipliciter Alberti laus describitur.

CIRCA idem ergo tempus Ratisponensis Ecclesia destituta Pastore proprio, turbine aduersitatis permota est. Clericis enim in electione noui Pontificis discordantibus, in hoc tandem conueniunt, vt Summo Pontifici de institutione Episcopi memoratæ Ratisponensis Ecclesiæ causam committerent. Ipso autem in tempore, propter errores quosdam eliminandos, ab Vrbano Quarto, qui cœpit anno Domini M. CC. LXI. ad Curiam Albertus est vocatus. Et quia Romano Pontifici incumbebat ponere Pastorem Ratisponensi Ecclesiæ, gauisus est quòd tantum virum secum haberet, cui hanc curam securè imponeret. Albertum igitur, licet plurimùm renitentem huic dignitati, ad Episcopalem promouit cathedram Ecclesiæ Ratisponensis. Quòd

autem

autem Albertus coactus sit per obedientiam huiusmodi suscipere honorem & curam, non tantùm ex ipsius Legenda habetur, verùm & ex Chronica Fratris Bernardi de castris sancti Vincentij, contemporanei Alberti; nam in ipsa Chronica sic ait Bernardus ille iam dictus: *Albertus Episcopatum Ratisponensem coactus recepit; sed paulò pòst tamquam carbonem ardentem, manum adurentem, obtenta cessione reiecit.* Imò & ipsa epistola Magistri Humberti ad Albertum idem indicat, in qua & ipse venerabilis Doctor à præfato Magistro Humberto multipliciter laudatur de variis virtutibus. Est autem epistolæ iam dictæ tenor iste: *Charissimo in Christo Fratri Alberto, Lectori Coloniensi, Frater Humbertus Ordinis Prædicatorum seruus inutilis æternam in cælo salutem, & in mundo radiare gloriosis meritis & exemplis. Rumor quidam per quasdam litteras nuper euolans à Romana Curia nostrum auditum attingens, & viscera nostri cordis penetrans, nos in direptionem interminabilem funditus prostrauisset, nisi fiducia sancta & firma, quam de vobis in omni bono gerimus, restitisset. Intelleximus*

siquidem, quòd in Curia supradicta dicitur ordinatum, quòd vos ad quamdam Pontificalem dignitatem debeatis assumi. Quod quidem si ex parte Curiæ posset credibile non immeritò reputari: tamen quòd vos inclinari possitis ad consentiendum ordinationi, quis, qui vos nouerit, posset credibile iudicare? quis inquam credere posset, quòd vos huiusmodi maculam in vltimo vitæ, vestræ gloriæ & Ordini, quem ita gloriosum fecistis, inferre velitis? Quis, quæso, charissime & amantissime, non solùm de nostris, sed de omni Religionis genere pauperis de transeundo ad dignitates resistet in perpetuum, si in iys succumbere vos contingat, & non potiùs in excusationem sui vos in exemplum sumat? Quis sæcularis hoc audiens non scandalizetur in vobis & omnibus professionis similis, reputans nos paupertatem non amare, sed sustinere solùm quamdiu eam effugere non valemus. Non moueant vos, obsecro, consilia seu preces Dominorum nostrorum de Curia emanantia, in qua citò & facilè huiusmodi verti solent in sibilum & derisum. Non frangant vos aliquæ molestiæ Ordinis, qui vniuersaliter omnes diligit & honorat, & de vobis specialiter in Domino gloria-

gloriatur: quas etiamsi grauiores essent quàm vmquam fuerunt vel futura sunt, etiamsi alios deiicerent, vestros giganteos humeros latè portare quantum deceat, vestra prudentia non ignorat. Non flectant vos præcepta Papalia, quæ potiùs in huiusmodi verbalia sunt, quàm mentalia reputantur, nec aliquem volentem efficaciter resistere reperiuntur finaliter coëgisse; nec solet huiusmodi sancta ad tempus inobedientia famam hominis lædere, sed augere. Consideret circumspectio vestra quid actum sit in illis, qui ad similia se trahi permiserunt; quæ fama eorum, quis fructus, qualis status, qualis finis eorum. Reuoluite diligenter in corde vestro, quanta perplexitas, quanta difficultas occurrit in regimine Ecclesiarum in Teutonia, & quàm difficile sit ibidem vel offensam Dei vel hominum declinare. Denique quomodo poterit anima vestra pati implicari tota die terrenis negotiis, & in periculis peccatorum versari, quæ tam vehementer sacras Scripturas & conscientiæ puritatem dilexit? Quòd si fructus animarum à vobis quæritur, attendite quomodo per huiusmodi status mutationem & animarum fructus innumerabilis, quem non solùm in

Teuto-

Teutonia, sed ferè per totum orbem indubitanter facitis fama & exemplo & scribendo, penitus deperibit. Quem autem in Episcopatu facere debeatis, penitus est incertum. Videtis etiam, dilectissime, quòd totus Ordo noster de tribulationibus maximis erutus, de nouo maxima consolatione est repletus; sed quid esset si in profundiorem mœrorem ex aliquo vestro reduceretis eumdem? Vtinam prædilectum filium meum citiùs audiam in feretro quàm in cathedra sublimari! nec sic tam mei amissa spe firmitatis in talibus alij recedant de hoc sæculo cum mœrore. Flexis ergo cordis genibus, per intemeratæ Virginis & eiusdem Filij humilitatem vos adiuro, ne statum humilitatis vestræ dimittatis, secundùm quod fortassis hostis sublimitas vel subtilitas procurauit in plurimorum damnum & scandalum, in eius caput redundet ad vestram & nostram duplicem gloriam & honorem. Rescribite consolatoria, quæ nos & alios Fratres nostros & vestros dilectissimos consolentur & eruant à timore. Orate pro nobis. Gratia Iesu sit vobiscum. Amen.

Ex hac epistola notatur primò, quòd non

non ſtatim Albertus acceptauit hanc dignitatem oblatam; aliàs enim rumor non præceſſiſſet de eius aſſumptione. imò & ipſe Humbertus teſtatur de firmitate eius ſancta, quòd ad huiuſmodi dignitatem pronus non eſſet, propterea monet ne Papalia mandata & conſilia Cardinalium & preces ipſum non inclinent, quem ſciebat ex propriis affectibus ad dignitates non anhelare: & ideò etiam proponit pericula quæ ipſum poſſent inuoluere in Epiſcopatu. Sed hoc principaliter eſt notandum ex epiſtola, quia Humbertus non tantum timuit de Alberti periculo, ſicut de eius ablatione ex Ordine. Talem enim virum, qui tam glorioſum fecerat Ordinem, & de quo ſpecialiter Ordo gloriabatur, & ideò Humbertus & ſe & alios Fratres quaſi deſolatos fieri teſtatur, ſi Albertus eis auferatur.

CAPVT XXXIV.

Quòd Albertus multipliciter de virtutibus & ſcientiis laudatur à magnis viris.

De virtutibus autem Alberti quæ in hac epiſtola continentur veridica teſtatione, placet breuiùs notare. Primò namque notatur quòd non incredibile poſſet eſſe ex parte Curiæ, quòd reciperetur ad huiuſmodi dignitatem. vnde notatur ipſius ſufficientia ad Paſtorale officium. Secundò notatur, Albertum tantæ conſtantiæ fuiſſe in humilitate, quòd incredibile fuit omni eum noſcenti quòd ad dignitates poſſet inclinari. Tertiò, quòd nulla macula infamiæ Albertus fuerit denigratus. Quartò, Humbertus dicit Albertum vehementiſſimè ſemper ſacras Scripturas & conſcientiæ puritatem amaſſe, & ideò impoſſibile dicit eſſe, illam animam terrenis poſſe implicari negotiis. Quintò notatur, Albertum innumerabilem fructum animarũ non ſolùm in Teutonia, ſed ferè per totum orbem

orbem indubitanter fecisse, & hoc per tria; scilicet, præclara fama, sanctis exemplis vitæ suæ immaculatæ, & doctrina mirabili & perutili in scribendo & exponendo Legem Domini, quam tam auidè dilexit. Sextò nota, quod dilectus fuerit Albertus toti Ordini, cùm istæ omnes maximæ tribulationes quæ præcesserunt, & iam Fratres ex ijs liberati fuerant, non tantum mœrorem Fratribus intulerunt, quantum istius hominis ablatio de Ordine per hoc si Episcopus ordinaretur. Et ideò Humbertus adiurat Albertum singulariter per humilitatem Virginis gloriosæ suæ dilectæ, ne se & Fratres deserat, sed consolatoria rescribat. Sed quia Albertus resistere Papali mandato nequiuerat, coactus est subire sarcinam Pastoralis officij; huic enim stimulo Papali mandato resistere, quandoque durum est: quare & multos nouimus ob istiusmodi mandatum in hac re succubuisse, vt Dominum Antoninum Ordinis Prædicatorum, & alios. Et quia virtutibus plenus Albertus extitit, peroptimè testificatus est non solùm præfatus Bernardus & Humbertus in epistola, verùm

rùm & ipſe Vlricus in ſua Summa ita inquiens: *Albertus Doctor meus, quondam Ratiſponenſis Epiſcopus, vir adeò diuinus, vt noſtri temporis ſtupor & miraculum congruè vocari poſſet.* Sed & Thomas auctor Libri Apum dicit, Albertum perfectum fuiſſe virtutibus; & ideò profeciſſe eumdem teſtatur in ſcientiis ſupra hominem. Præter illos autem iam nominatos qui ſecum conuerſati ſunt in hac mortali vita, & alij excellentes & boni viri de ipſo reddunt teſtimonium, vt Compilator Legendæ ſancti Thomæ, ſicut patuit. Papa etiam Pius huius nominis Secundus, qui & Siluius Æneas, vir prudens & in multis expertus, cuius ingenium ſcripta propria commendant, de ſanctitate Alberti non dubitans, in epiſtola quam ad Turcũ ſcribit admonendo de Chriſtiana Religione ſuſcipienda, ita inter alia proſequitur: *Dominicus in extremis Hiſpaniæ natus oris, quaſi alius veſper emicuit, qui nouum quemdam ſanctum & nitidum viuendi morem ſuis auditoribus tradidit, & Prædicatorum inſtituta Regula vniuerſum illuſtrauit orbem. Multi ex diſcipulis eius clariſſimi euaſerunt, ſed præ-*

præcipua est Magni Alberti fama, qui nullum doctrinæ genus ignorasse creditus est: nec minor eo Thomas Aquinas fuit in litteris, etsi maior extitit sanctitate. hæc Papa Pius. Supponit igitur, sanctum esse Albertum, licet in hac parte Thomam, quia ab Ecclesia iam canonizatum, prætulit. In quo autem gradu sanctitatis sunt, & quis maior ipsorum, soli Deo ad plenum notum est; ipse enim ponderator est spirituum. Religiosus insuper Frater Iacobus Florentius Ordinis Fratrum Minorum, cùm beati Thomæ commendare sanctitatem & scientiam cupit, vt patet in Prologo Summę quæ Pantheologia dicitur, edita à Fratre Reinerio Ordinis Prædicatorum, ita ait: *Seraphici Dominici normam imitantes, æmulatores illius sanctimoniæ ac splendidissimæ sapientiæ extiterunt: Albertus ille Magnus ingenio & claritate doctrinæ emicuit, à cuius latere Aquinas Thomas exornatus exemplo in omni genere doctrinæ euasit.* hæc ille.

CA-

CAPVT XXXV.

Qualiter Albertus ad Ratiſponam venit miſſus cum benedictione à Papa.

POST Epiſcopatus verò ſuſceptionem, à Domino Papa accepta benedictione, Albertus de vrbe Romana cum decenti Fratrum comitiua egreditur, longoque confectus labore itineris, Bauariæ tandem fines ingreditur. Cùm autem ciuitatem Ratiſponenſem poſt ſolis occaſum fuiſſet ingreſſus, vt ſine ſtrepitu & pompa res ageretur, ad Eccleſiam ſancti Blaſij, quam Fratres Prædicatores inhabitant, humiliter declinauit; vbi à Fratribus miro cum fauore ſuſceptus eſt. Manè igitur facto, cùm Miſſarum ſolemnia agerentur, venerabilis Præſul Albertus Fratrum caterua ſtipatus, Eccleſiam Cathedralem ingreditur, vbi Clerus & populus ad recipiendum Epiſcopum, quem venturum nouerant, fuerat congregatus. Intranſque Chorum inter pſallentium Clericorum & nobilium frequentiam maius

maius Altare petiit, ibique diu pauimento adhærens, deuotè orationi incubuit. Interim autem concursus vtriusque sexus per totam excitatur ciuitatem; & ecce completa oratione, à Clero cum Canticis lætitiæ more Pontificum inthronizatus, summo commendatur Pastori, Deum benedicentibus quia talem digni sunt habiti supra se videre Sacerdotem, quem vitæ sanctitas commendat, & doctrinæ claritas cum celebri fama totius orbis spectabilem reddidit vniuersis.

CAPVT XXXVI.

De simplicitate eius in Episcopatu, & alijs quæ gessit.

PASTOR itaque in populo Dei factus, eadem in corde humilitas, eadem in vestimentis ipsius vilitas fuit. Sic implebat officium Episcopalis dignitatis, vt non desereret Ordinis sui austeritatem, & conscientiæ puritatem: nam calceamenta sua rusticana ferre non erubuit; vnde à Bauarorũ populo Episcopus cum botis, id est magnis & grossis sotu-

ſotularibus, vulgariter appellabatur. nimirum vir Dei meditationi Legis Dei intentus, toto niſu circa cultum interioris hominis ſollicitus, parum de exteriori ornatu cogitabat. Non etiam phaleratorum equorum vſus pompa, vt multis eſt conſuetudo; ſed cum religioſa ſocietate aliquando pedeſter diœceſim viſitando incedebat, tantùm iumento quod Epiſcopalia ornamenta deferebat contentus. Vt autem vir Dei Deo ſecuriùs vacaret, ſæcularia negotia fidelibus viris committere voluit, ne ijs præpeditus, de negligentia ouium Chriſti argui poſſet: vnde in Dei opere nihil prætermittens, ſacris meditationibus, orationibus, ceteriſque ad Epiſcopalem perfectionem pertinentibus inſiſtebat quotidie. Inter cetera verò ſui ingenij & ſanctitatis monimenta quæ in Epiſcopatu oſtendit & geſſit, inſigne volumen ſuper Lucam edidit: quod profectò volumen, quàm liber ab omni ſæculari actione Deo ſoli adhærens extitit, quo ſpirituque feruebat declarat lucidè, ita vt plerique conſtanter dicere audent, quòd ſpecialiſſimo dono ſancti Spiritus pro tunc cùm dictaret

ctaret & conſcriberet hoc volumen, ſit inſpiratus: Liber enim ille ſpirat cæleſtium chariſmatum ſingularem ſuauitatis odorem, prolixiorque eſt Liber ipſe alijs per ipſum editis voluminibus in Biblia. Poſtillam verò hanc ſuper Lucam, vt aiunt, propriis manibus ſcripſit humilis & laborioſus Albertus; in cuius rei teſtimonium eſt Liber ipſe de manu eius propria in Conuentu Ratiſponenſi Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem pro tanti Patris reuerentia, tamquam magnum aliquid conſeruant. In memoriale ſuiipſius, puta in ædificiis nouis conſtruendis & ampliandis terræ terminis, nihil attentare voluit, qui ampliorem, non manufactam, æternam in cælis domum intrare cupiebat; ſed animabus in æternum victuris, ne deperirent, vigilanter curam egit: gloria enim temporalis illi erat faſtidio; humilia ſemper amplectebatur, memor propriæ ſententiæ quā in Poſtilla ponit, ſic loquens: *Qui faſtu ſuperbia elatus humilis non eſt, etiamſi in Choro Chriſti reſidet, nullus in regno Dei eſt.* Fecit tamen ex ſola pia deuotione, quam ad ſuum Patrem habebat Dominicum,

memoriale iſtud, ordinans ſcilicet in Ratiſponenſi Eccleſia & ſtatuens perpetuò de eodem Patre tenendum Officium per Feſtiuitatem ipſius, diſponens nihilominùs dari Canonicis diſtributiones pecuniæ eodem die, quæ fieri in Collegiatis ſolent Eccleſiis, quas Præſentias quidam appellant.

CAPVT XXXVII.

Quare Albertus reſignauit Epiſcopatum, & quòd laudandus ſit propter hoc factum.

ELAPSIS igitur paucis annis poſtquam præclarus præſul Albertus memoratam Eccleſiam laudabiliter rexiſſet, multi non ferentes eius ſanctam conuerſationẽ, & ille etiam tumultuum diuerſorum turbinibus cùm torqueretur, cernenſque in populo duro non poſſe proficere, tædio affectus, vtpote cui honor Prælationis & amicitia hominum peccatorum non ſapiebat, timeretque de periculo quod Alamanniæ Epiſcopos ob temporalis dominij grauamen ad multa damnabilia quandoque

que pertrahit; elegit magis contemplationi & meditationi scibilium & Sacrarum litterarum in Ordine, de quo assumptus fuerat, intendere, quàm Pastoralis curæ negotiis sine fructu inseruire. De licentia igitur impetrata per eum à Summo Pontifice Clemente Quarto, successore Vrbani prædicti, relicto Præsulatu, relicto patrimonio Episcopali, insigniq́ue vrbe sua Ratisponensi, ad Ordinis sui paupertatem voluntariè rediit secundo anno præfati Clementis Papæ. Hæc nobis indicant non tantùm Legenda & Chronica vnà cum testimonio Fratris Bernardi sæpè dicti, verùm & ipse Albertus met quasi implicitè suis verbis in Postilla sua super Lucam, quam in Præsulatu scripsit, quasi iam premeretur onere Pastorali, sic indicat, vbi dicit circa illud XXII. cap. *Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor. Qui maior in vobis potestate spirituali, fiat sicut minor qui ad nullam eligitur potestatem: quia sicut dicit Philosophus, Nemo eligit iuuenes Duces, quia constat eos non esse sapientes. Matth.* XVIII. *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum; quia ille magis*

est ad fundandum Ecclesiam idoneus. In primitiua enim Ecclesia non curabatur multùm de potestate, sed omnes ad humilitatem & charitatis exempla respiciebant; & hoc etiam voluit Dominus, cùm dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Tollite iugum meum super vos, &c. *Nihil enim leuius est, quàm in humilitate & mansuetudine gubernare subiectos quamdiu tempora hoc patiuntur: statim autem quando multitudo malorum cogit eum seueritate & austeritate procedere, tunc sicut & Moysi res intolerabilis esse videtur, Numer.* xx. *ita efficitur etiam Prælato Ecclesiæ intolerabilis; nisi aliquis fastu delectatus, velit tolerare vel fortè fouere malos, sicut faciunt Prælati nostri temporis, qui magis vicem habent Sardanapali quàm vicem Iesu Christi.* hæc omnia venerabilis Albertus in loco præfato habet de verbo ad verbum. Insinuat planè istis verbis vir sanctus iste, Prælaturam intolerabilem fore cùm excreuerit malorum multitudo: impeditur enim tunc Prælatus non à profectu ex parte malorum, sed & in bonorum fructu, ac à propria deuiat quandóque perfectione: & ideò prudentissimè fecit

cit Albertus in tali articulo constitutus. Sicut enim virtutis fuit constantiæ & humilitatis, non citò consentire assumere dignitatem Episcopalem; ita obedientiæ fuit, onus impositum coactione Superioris non abiicere: ac demũ in articulo periculi suiipsius illud quod impositum erat relinquere cum consensu Superioris, summæ fuit prudentiæ, eò quòd malitia hominum non proficientium & suum poterat impedire profectum. Hæc omnia profectò magnæ fuere perfectionis: ideò pluribus difficilia videntur, eò quòd paucos huius Regulæ nouimus imitatores. Fuerunt tamen nonnulli, sed sancti, quos & hic Beatus est imitatus; sicut & Cælestinus Papa, qui ex eremo ad Papatum raptus est, sed post paululum resignans, quia proficere nequibat, Ordinem qui Cælestinorum dicitur instituit, & canonizatus posteà fuit sub nomine Petri Confessoris, quod nomen ei proprium antè fuerat. Illius etiam quasi mentis videtur fuisse Benedictus Papa XI. de Ordine Prædicatorum, qui continuis precibus rogare Deum consueuit, vt eum de medio tolleret, ne Pastorali

onere grauatus deficeret. Ita Petrus Damiani Episcopatum resignauit, & cùm posteà increpatus ob hoc fuisset, rationem reddendo respondit, hoc idem multos fecisse Sanctos; puta Valerium, qui sibi Augustinum substituit: Lucidum quoque Citoclensem, qui in cœnobium conuolauit, cui tamen beatus Andreas obitum suum denuntiauit, vt ait Gregorius in Registro: Adalbertum quoque Pragensem Episcopum induisse Monachum; & martyrij palmam promeruit: item & alium quemdam, cui Angelus sanctus & beatus Remigius apparuerunt. Et apponit rationem istis exemplis idem Petrus Damiani, sic inquiens: *Melius est pondus abijcere, quàm cum detrimento Domini, cuius ego seruus sum, fractis ceruicibus intrare.* hæc Petrus Damiani pro se respondit, licet multùm idoneus esset ad Ecclesiasticum regimen, & vir prudentissimus. Cum omnibus ergo istis Beatis qui resignauerunt, venerabilis Albertus laudandus est permaximè. Veniens itaque Albertus Coloniam post resignationem ad Fratres suos, magno cum fauore, vt decuit, suscipitur ab eisdem: &
mox

mox iuxta morem priſtinum ſcribebat Libros, & docebat indoctos, regulari obſeruantiæ in omnibus ſubiectus; tantò perfectior in ſingulis quæ agebat, quantò gradum excellentiorem in Sacerdotio & Magiſterio occupabat.

CAPVT XXXVIII.

Albertus fundat Monaſterium Virginum, & Chorum Fratrum conſtruxit ob rationabilem cauſam: & de reuerentia ei exhibita ab omnibus ob ſuam probitatem.

ALIQVANTO autem elapſo tempore venerabilis Albertus inſigne Sanctimonialium Monaſterium fundauit ſub cura Ordinis Fratrum Prædicatorum apud Zuzatum quod Paradiſus dicitur. Continuiſque virtutum exercitiis florens, in Dei opere indefeſſus, cùm Fratrum neceſſitatem cerneret, ſtuduit quantocyùs releuare: locum namque Chori pro pſallentium Fratrum caterua conſiderans nimis eſſe anguſtum, de Maiorum ſuorum beneplacito latiorem fecit, fultus Fidelium

auxilio in opere incepto. De quo retro ſummum Altare ob eamdem cauſam poſt obitum ipſius in vitrea feneſtra, vbi ipſe depictus eſt vnà cum Archiepiſcopo Colonienſi, qui eum ſepulturæ honorificè tradidit, hi verſus inſcripti ſunt:

Condidit iſte Chorum Præſul, qui Philoſophorum
Flos & Doctorum fuit Albertus, ſchola morum,
Lucidus errorum deſtructor, obexque malorum.
Hunc rogo Sanctorum numero Deus adde tuorum.

Et qui virtutibus plenè adornatus extitit, ab omnibus amabatur; in reuerentiaque magna habitus eſt non ſolùm apud populares, ſed & ab ipſis Prælatis plurimùm honorabatur: vnde Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Colonienſis Siffridus de Weſterborch, qui affectuosè Patrem Albertum dilexit, conceſſit eidem vt in ſua diœceſi, vbicumque rogatus fuiſſet, in Pontificalibus celebraret, & alia quæ Pontificis ſunt exerceret. Vnde multas Eccleſias in eadem diœceſi conſecrauit, Ordines quo-

que

que pro eodem Domino pręfato Siffrido quandoque celebrare ſolitus erat. Eamdem etiam reuerentiam ei ceterarum Eccleſiarum Pontifices,quando in eorum territoriis erat,detulerunt:vnde quodam tempore in Argentina rogatus ab eiuſdem ciuitatis Epiſcopo,ferè centum Clericos ad Eccleſiaſticos promouit Ordines vna die. Sic & Baſileæ Eccleſiam Fratrum in honorem beati Dominici Patris ſui dicitur conſecraſſe. Fertur inſuper multa Sanctorum corpora in Colonienſi vrbe, Deo reuelante, venerabiliter de terra tranſtuliſſe.

CAPVT XXXIX.

Albertus cum magna deuotione biennio ante mortem ſuam tranſtulit ſanctam Cordulam.

CONTIGIT enim ſuo tempore,anno videlicet M CC. LXXVIII. ſub Ioanne Papa XXI. Rodulpho autem Rege Romanorum,& ſub Siffrido Archiepiſcopo Colonienſi prædicto, in die ſancti Valentini martyris, ſequens reuelatio de corpore ſanctæ Cordulæ virgi-

nis, quæ fuerat ex Reginis sanctarum Virginum cum beata Vrsula interfectarum, de cuius translatione apud Fratres sancti Ioannis, hæc quæ sequuntur ad integrum habentur temporibus Alberti conscripta. *Post trinam*, inquit, *admonitionem factam cuidam Fratri Ordinis sancti Ioannis in Colonia de corpore sanctæ Cordulæ, quæ fuit vna de societate beatarum vndecim millium Virginum, inuentum est corpus eiusdem sanctæ Virginis cum diuersis insignibus, quæ apud corpora earumdem Virginum consueuerant inueniri. Quo in loco suauissimi odoris fragrantia etiam respersa est. Sed Prior præfati Fratris anxius quid ageret circa tam arduum negotium, consilium petere non distulit. Vnde cùm illis temporibus vir reuerendus & venerabilis Dominus Albertus Ratisponensis Episcopus, Ordinis Prædicatorum, Professor sacræ Theologiæ, qui illis diebus in scientiis & studiis liberalibus, tam diuinis quàm humanis, nulli, vt creditur, secundus habitus, in sancta ciuitate Coloniensi frequenter moram traheret, eò quòd iam senio confectus in ea locum habitationis perpetuæ delegisset, eumdem celeriùs adijt consilium ab eo super ijs petiturus,*

rus, dimiſſis medio tempore ſacris illis oſſibus diſcoopertis & intactis. Veniens itaque apud dictum Pontificem, narrauit ei per ordinem hiſtoriam facti ſuper tribus apparitionibus iſtis, & non minùs de ſacri inuentione corporis. Quibus auditis, reuerendus ille Pater lætabundus efficitur, & exurgens ait: Vadam & ego viſurus quomodo Dominus viſiones has magnas opere adimpleuerit. & ſecutus Priorem iam nominatum, venit ad domum Fratrum Ordinis ſancti Ioannis: qui auditis verbis Fratris Imgebrandi inuentoris Reliquiarum, reſolutus in lacrymas, laudans Deum ex intimo ſui cordis, & illam hymnologiam Te Deum laudamus, ab omnibus inibi congregatis cantari præcepit in excelſis: ipſeq́ue indutus ſuis Pontificalibus eleuauit de terra, & tranſtulit eaſdem Reliquias cum omni ſolemnitate qua decuit, in Eccleſiam Fratrum Ordinis ſancti Ioannis, & ipſe deuotè peractis Miſſarum ſolemniis repoſuit eas in loco decenti infra Chorum; vbi tunc eadem die; & poſt interualla temporum, ad laudem Dei & ſanctæ Cordulæ miracula plurima facta fuiſſe referuntur. hæc omnia in præfatæ Virginis Legenda de verbo ad verbum ſunt

 poſita,

poſita, & ibidem ad plenum habetur trina reuelatio facta Fratri Imgebrando, & ab Alberto examinata.

Poſſumus ſanè ex præfatis notare, quantæ affectionis in vera deuotione Albertus fuerit, cùm hanc perfectam deuotionem eſſe noſcimus, qua mens liquefacta ſpirituali dulcedine etiam corpus in lacrymas reſoluit. Ecce huic viro tam parua occaſio, puta reuelatio & viſio corporis vnius ſacræ Virginis, lacrymandi ex deuotione contulit vbertatem, & nobis permaxima beneficia à Deo præſtita vix per modicum lapideum cor poſſunt emollire. Ipſe autem lacrymandi facilitatem ex crebra deuotione credendus eſt habuiſſe, vt quaſi ex habitu in ipſo generato in promptu lacrymas haberet. ſignum namque generati habitus eſt, ſine difficultate ire in opus. Suſpirabat ſiquidem & ipſe ad cæleſtia, & ideò de ſupernis ciuibus audiens vel cogitans, incolatum præſentis deplorat miſeriæ, tendens ad illam patriam, vbi nulla ſuſpiria ſunt triſtitiæ, ſed pax & ſempiterna lætitia. Nec ſenili ætate grauatus, retractus eſt à ſanctarum Reliquiarum viſitatione, quin & laudem

laudem Deo ex intimo ſui cordis lætabundus redderet cum Miſſarum ſolemni celebratione; cùm tamen tunc temporis venerabilis ſenex decrepitus eſſet, videlicet LXXXV. annorum, duobus quaſi annis ante mortem: veteranus enim erat ætate, ſed florebat virtute iuueneſcens, ingreſſurus in illam patriam, vbi annorum numero nemo deficit.

CAPVT XL

Alberto Coloniæ reuelatur obitus ſancti Thomæ, qui in Campaniæ partibus obÿt: & de lacrymis eiuſdem Alberti quas ex deuotione fudit.

SED ex alio quodam facto ipſius feruens deſiderium ad Chriſtum oſtenditur: illo ſiquidem quod legitur in Legenda beati Thomæ, atque in Chronica religioſi Patris Antonini, vbi ſic habetur de ipſo: *Cùm beatus Thomas Aquinas Alberti diſcipulus in Campaniæ partibus mortuus eſſet corpore, victurus cum Angelis in cælis; ecce eadem die venerabilis Albertus cum alÿs Fra-*

tribus Coloniæ in mensa residens cibum percepturus, subitò resolutus in fletum, vehementer lacrymari cœpit. cuius fletus causam cùm Prior ceterique Fratres instanter ab ipso inquirerent, respondit ille: Frater Thomas de Aquino filius meus in Christo, qui fuerat lumen Ecclesiæ, de hac luce migrauit. At illi notantes diem, repertum est sanctum Doctorem migrasse eo die quo Alberto de transitu Thomæ diuinitus fuerat reuelatio facta. Profectò hac reuelatione omnipotens Deus nihil aliud insinuare voluit, nisi quia certum ipsum Albertum de sua beatitudine redderet, dum Thomæ transitum ad cæli gaudia demonstrauit: Albertus verò fundendo lacrymas quasi de suo incolatu ingemiscens, desiderare se cælestia testatur.

CAPVT XLI.

Quòd Albertus multis profuit, & quid in Concilio Lugdunẽsi egerit.

Eo verò tempore quo beatus Thomas migrauit ex hac luce, Lugdunense Concilium instabat celebrandum:

dum: quare & ipſe idem Sanctus dum in via eſſet ad idem Concilium iturus, infirmitate præoccupatus, ad Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, quod Foſſa noua dicitur, declinauit: vbi & diem clauſit extremum VII. die Martij, quæ dies, vt dictum eſt, Alberto reuelata fuerat Coloniæ nondum egreſſo ad præfatum Concilium; ſed ſtatim poſt hanc reuelationem, quia & ipſe Albertus Concilio intereſſe debebat, iter verſus Lugdunum arripuit: venienſque Lugduni inuenit congregatos Eccleſiæ Prælatos, inter quos fuerunt ſeptem Reges, quingenti Epiſcopi, Abbates & alij Prælati plurimi, Græcorum Nuntij centum viginti; de Prædicatorum autem Ordine præter alios doctos viros Epiſcopi plus quàm triginta clariſſimi: quibus tamen eminebant duo ceteris clariores, ſcilicet Frater Petrus de Tarentaſia, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, qui poſteà dictus eſt Innocentius Quintus. Hic in exequiis Domini Bonauenturæ paulò antè ad Cardinalatium aſſumpti, atq; defuncti in eodem Concilio, ſermonem fecit, habens pro themate, *Doleo ſuper te, frater mi Ionatha.*

tha. Alius autem fuit Frater Albertus quondam Ratisponensis Episcopus, qui coram Domino Papa Gregorio XI. atque Concilio verbum fecit pro Domino Rege Romanorum, sumens pro themate illud, *Ecce ego mittam eis saluatorem & propugnatorem qui liberet eos.* In quo Concilio credimus non modicum profectum Ecclesiæ Albertum attulisse sua doctrina. Ipse namque ait in secunda Parte suæ Summæ, Græcos coactos fuisse in Concilio Lugdunensi suum reuocare errorem, quo dicebant fornicationem simplicem non esse peccatum; contra quem errorem etiam in Summa eadem ipse idem Albertus disputat validis rationibus, vt suprà patuit. Peracto verò Concilio Lugdunensi, venerabilis Albertus Coloniam rediens, operi Dei, prout illi consuetudo erat, institit feruenter. Quanti autem feruoris in prædicando fuerit, suis verbis clarè ostenditur, cùm in Litania, sicut pręmissum est, gratiarum actiones referendo Virgini gloriosæ, dicat eamdem Virginem potentiæ miracula loquendo per linguam eius indesinenter operari. Sed & quantæ dulcedinis in

affatu

affatu fuerit, hoc facto oftenditur fufficientiffimè: quia fuo tempore, dum ciuitas Colonienfis difcordiam non paruam cum Comite Montenfi, qui nunc Dux Montenfis & Iuliacenfis eft, haberet; ipfe pacem optatam cunctis mortalibus fuo affatu & prudentia vtrifque contulit: ita vfque nunc mirantur qui de Senatu funt Colonienfis ciuitatis, de fapientia ipfius Alberti, eò quòd in fcriptis proceffum concordantiæ iam dictæ apud fe habeant. Fertur etiam fuo ftudio factum fuiffe, vt Regularium Canonicorum Fratres in quibufdam partibus Alamanniæ ad regularem obferuantiam fint reducti.

CAPVT XLII.

Albertus vfque ad finem vitæ fuæ diuinis Scripturis fuit intentus.

SALVATORIS autem noftri informatus doctrina, quam auidè femper fitiebat, vfq; in finem, licet fenio confectus, eamdem legendo, fcribendo, aliis propinare non deftitit: vnde Librum de Corpore Chrifti, vt præfatus Frater Bernardus eius contemporaneus retulit

lit in ſua Chronica, circa finem vitæ plenum fide & deuotione ſcripſit. Similiter & deuotiſſimum Tractatum De adhærendo Deo, quemadmodum initium eius Tractatus teſtatur, qui ſic incipit: *Cogitaui mihi aliquid vltimatè (in quantum poſſibile eſt in huius exilij & peregrinationis immoratione) depingere, ſcriptitando de & ſuper ab omnibus plena & poſſibili abſtractione, & cum ſolo Domino Deo expedita, ſecura, & nuda firmaque adhæſione: præſertim cùm ipſius Chriſtianæ perfectionis finis ſit charitas, qua Domino Deo adhæretur,* &c. Quem Tractatum ſi inſpexeris apertis oculis, tamquam in ſpeculo, Alberti mentis faciem ab omni labe alienam videbis: quod magis lectione ipſa inuenies verum, quàm noſtra perſuaſione.

CAPVT XLIII.

Numerus Librorum Alberti, tam in Theologia quàm in Philoſophia.

ET quia floſculos varios, ſpiritualem de ſe ſpirantes ſuauitatem, ex Libris ipſius colligere poſſemus, ne tædium

dium ob prolixitatem legentibus præ-stemus, ſuperſedendum eſſe puto de huiuſmodi. Sed vt ſuperficialiter ſciatur quantum doctrinando Eccleſiæ profuit, Libros eius enumerare libet. In primis igitur, vt à Canonica incipiamus Scriptura, fecit ipſe venerabilis Albertus Opus egregium ſuper totam Bibliam, quoad vetus & nouum Teſtamentum per modum Poſtillæ, exponendo Legem per Legem, vt videre poſſis, ſuam Poſtillam nihil aliud eſſe niſi catenam inuincibili veritate connexam; in qua reperies varia & occulta quæ paucis in notitiam veniunt. Scripſit quoque ſuper multos libros Bibliæ, eo modo quo ſcripſit naturalem Philoſophiam per Tractatus & Capitula diuidens & diſtinguens. Quoad Bibliam, libros quos vidi, notare placuit. Per modum verò Poſtillæ hos vidi: ſuper Iſaiam, Ieremiam, Ezechielem, Danielem, ſuper Iob, ſuper duodecim Prophetas minores, ſuper Baruch, Lamentationes Ieremiæ, ſuper Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, & Apocalypſim. Noſco autem virum quemdam honeſtum & doctum, qui Albertum

habet

habet ſuper Apoſtolum Paulum quoad omnes Epiſtolas, vt fide digni dicunt. Item ad petitionem Fratrum ſcripſit Summam Theologiæ, quæ intitulatur, *De mirabili ſcientia Dei.* habet verò hæc Summa, vt ipſe in prima Parte eiuſdem, quæſtione quinta, articulo vltimo dicit, quatuor Partes ſiue Libros. Primus agit de Deo ſecundùm ſe & conditiones ſuæ perfectionis. Secundus, de creaturis & vitiis. Tertius, de Chriſto & virtutibus. Quartus, de Sacramentis ac gloria reſurrectionis. Incipit autem ſic: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Quidam autem dubitant an completa ſit hæc Summa, eò quòd Coloniæ non poſſunt niſi duæ Partes inueniri, v.h. Item ſcripſit quatuor ſcripta ſuper Libros quatuor Sententiarum, v.h. Et præter hæc quatuor ſcripta, quæ nota ſunt omnibus, & in communi vſu reperiuntur; vt quidã aiunt, & alia ſcripta ſuper Sententias; quod non incredibile videtur, eò quòd pluries Sententias legerit in diuerſis locis. Item ſcripſit Summam de Quatuor coæquæuis, v.h. Item ſcripſit librum de Homine, v.h. Item de Bono ſecundùm com-

communem intentionem: in hoc ſiquidem Libro de virtutibus ſingulis determinat, & de Legibu , & aliis multis, v.h. Item Librum de Perfectione vitæ ſpiritualis. Item librum de Myſterio Miſſæ, v.h. Et licet multi ſcripſerunt de Officio Miſſæ, vt patet in ijs qui Rationalia diuinorum compoſuerunt; nullus tamen ei ſimilis inuenitur, nec pulchrior aut deuotior. Item ſcripſit copioſiſſimè vnum Librum de Corpore Chriſti, ſeu de Euchariſtia, circa finem vitæ ſuæ, de quo Libro ſuprà dictum eſt, v.h. Item ſcripſit alium Librum de Euchariſtia, cuius Prologus ſic incipit: *De ſacroſancto Corporis Domini locuturi Sacramento, proponimus donante Deo*, &c. Diuiditur autem Liber per Sermones, quibus ſemper præmittit illud thema, *Venite, comedite panem meum*, v.h. hunc Librum nonnulli adſcribunt ſancto Thomæ, cùm tamen Alberti ſit, vt ſuperiùs probatum eſt. Item ſcripſit Librum de Laudibus beatæ Virginis Mariæ, ex inaudita deuotione ad eamdem, in quo miro modo laudes ipſius deſcribit, v.h. Item Librum contra Wilhelmiſtas impugnantes Religioſos; de quibus

bus ſuperiùs in viſione de Alberto habita notatum eſt. Item Librum de Muliere forti, cuius initium eſt: *Laudes Eccleſiæ deſcribit Salomon in figura mulieris fortis*, &c. In hoc Libro continentur materiæ aliquæ ſolemniſſimæ pro Prædicatoribus: ſi quis enim habuerit huius Libri practicam, cognoſcet quantæ virtutis ſit; quia ad diuidendum vnam auctoritatem, non eſt in aliquo Opere alicuius Doctoris modus nobilior, v. h. Item librum de Partu hominis. Item librum de Formatione hominis in vtero. Item Librum multarum Quæſtionum determinatarum. Item Librum de Origine & immortalitate animæ. Item multas Proſas ſiue Sequentias de beata Virgine, & multa alia ad Pariſienſes. Item ſcripſit, vt communiter fertur in Ordine, Sequentiam de Trinitate, quæ incipit, *Profitentes*; & cantatur in Ordine Fratrum Prædicatorum. Item ſcripſit Orationes ſuper quatuor Libros Sententiarum, quoad omnia quæ in ijs continentur, v.h. Item Orationes ſuper Euangelia Dominicalia per totum annum, v.h. Item ſcripſit vnam Litaniam in hunc modum, vt quaſi de ſingulis

gulis Sanctis vnam singularem faciat Orationem,v.h. Item,licet super Missam scribendo, & in Postilla Dominicam Orationem subtiliter & pulchrè exposuerit; tamen specialem Tractatum super eadem Oratione composuit, vt à quodam docto viro didici, qui hunc in Italia reperiri affirmabat. Item scripsit super Dionysium de Cælesti hierarchia. Item de Ecclesiastica hierarchia. Item de Diuinis nominibus; quem Librum etiam legit Coloniæ, cùm beatus Thomas ibidem discipulus eius extitit. Item de Mystica Theologia. Scripsit denique super Epistolas eiusdem beati Dionysij: primò super quinque epistolas ad Gaium Monachum: item ad Sosipatrem, ad Polycarpum, ad Demophilum, ad Timotheum De symbolica Theologia, super Epistolam ad Ioannem in Patmos, super epistolam ad Appellionem: hæc omnia Commenta quoad Libros Dionysij Coloniæ reperiuntur, v. Item scripsit Librum de Arte prædicandi. Item Librum de Reparatione hominis lapsi.

Ad nimiam instantiam & petitionem Fratrum suorum, vt testatur in princi-

pio

pio libri Physicorum, dictauit modo mirabili omnes Artes liberales humanasque scientias, scilicet Philosophiam Naturalem, Moralem, Rationalem, Mathematicam,& Metaphysicam.Ipse enim cunctis dictas scientias ad plenum scire desiderantibus sic vtiliter elaborauit, vt viam sciendi & intelligendi priùs omnino ignotam facilem traderet. Hoc autem sciendum, quòd præ omnibus qui in Philosophia scripserunt, Alberto magis est post Aristotelem credendum,eò quòd ipse omnium pænè Philosophorum scripta perlustrauit, & in quibus verum vel falsum dixerunt vidit; imò cùm & ipse magis præ omnibus in ijs quæ naturalia sunt sit expertus: & licet aliqui præsumentes de sua Metaphysica vel Logica, argumentis quibusdam possunt eum impugnare; puto hoc non esse curandum, cùm ipsemet Albertus dicit,magis esse credendum vnicuique in sua arte experto. Nam in secundo suo scripto, distinctione XIII. vbi disputat de luce quid sit,inter alia verba in solutione ita ait: *Sciendum tamen, quòd Augustino in his quæ sunt de fide & moribus plus quàm Philo-*

Philosophis cedendum est si dissentiunt: sed si de medicina loqueretur, plus ego crederem Galeno vel Hippocrati: & si de naturis rerum loquatur, credo Aristoteli plus quàm alij experto in rerum naturis. hæc Albertus loco præallegato. De ijs autem quæ præsumunt de suis argumentis Metaphysicalibus, vel etiam qui Logicaliter aliquando argumentantur, proculdubiò quandoque in naturalibus decipiuntur si ignorant naturas corporum Physicorum; quemadmodum benè notat idem venerabilis Albertus in suo Libro Mineralium, vbi reprobat quemdam nomine Gilgil, qui probare voluit, cinerem esse materiam metallorum; & arguebat sic: Quorum est vnus modus congelationis & vnus modus liquefactionis, eorum est vna materia: sed videmus quòd per assationem fortem calidi & sicci cinis liquatur in vitrum, qui congelatur frigido & liquatur calido sicco sicut metallum: ergo vitri & metalli vna est materia. Hoc argumentum & similia alia fecit Gilgil, quæ Albertus ibidem proponit & soluit. sed ante solutionem argumentorum, sic ait Albertus: *Hæc autem*

 incon-

inconuenienter & stultè dicta sunt, quoniam iste Gilgil Metaphysicus & non Physicus fuit; sed de Metaphysica sua in Alchimia præsumens, præsumpsit mentiri de Physicis. hæc Albertus, qui postquam dedit solutiones argumentorum, & apposuit propriæ sententiæ rationes, sic adiunxit: *Et hoc Gilgil ignorauit.* Sic reuerà quidam magni suis argumentis decipiuntur, quemadmodum hic Gilgil, ignorantes naturas Physicorum corporum. Sed vtinam in Theologicis quæstionibus quidam non deciperentur, ratiocinationibus suis plus adhærentes quàm oportet! de quibus frequenter etiam Albertus notat in suis scriptis, de argumentationibus illorum sic inquiens: *Hæc deliramenta putamus esse.* Et quamuis ipsemet quandoque tales quæstiones, quæ scholasticæ sunt, habet; testatur tamen hoc se facere plus coactè quàm voluntariè, dicens: *Nostro tempore quia hæreses importunæ sunt, respondebimus quantum pro defensione fidei oportet, & non amplius super huiusmodi.* De quibus omnibus multos passus adducere possemus ex suis Libris, sed breuitati in Legenda studendum est.

est. Et quia talibus argumentationibus se hoc tempore multi nimis inuoluunt, videmus plures etiã magnos viros magis opinionibus grauatos quàm scientia ornatos; vt impleatur illud Sapientis: *Fecit Deus hominem rectum, & ipse se inuoluit multis quæstionibus.* Inde iam quasi sectæ sunt diuisæ à se inuicem, non veritatem sed propriam laudem quærentes, & dicunt sicut illi quibus Apostolus improperat, *Ego sum Cephæ, ego Pauli, ego Apollo.* Imò quod deterius est, si aliter dicitur ab aliquo quàm ipsi opinantur, falsitatem putant; & sic vnum tenent Doctorem, vt aliorum Magistrorum dicta putent errores, non attendentes quid dicatur, sed quis. Quorum contentiones Albertus signanter notat in suo Commento super Libro peri hermenias in principio, vbi sic ait: *Quod de actore quidam quærunt, supernacuum est, & numquam ab aliquo Philosopho quæsitum est, nisi in scholis Pythagoræ; quia in illius schola nihil recipiebatur nisi quod fecisset Pythagoras: ab aliis autem quæsitum non est; à quocumque enim dicta erant recipiebantur, dum probatæ veritatis haberent rationem. Causa*

Eccli. 7.

1. Cor. 1.

etiam efficiens extrà est, & ab ea neque habet res firmitatem, neque infirmitatem, sed potiùs à ratione dictorum. hæc Albertus. Cùm autem locus ab auctoritate eò certior est, quantò per sapientiorem confirmatur; & ille sapiens sit qui humilior & sobrius magis, quia Sapientia increata sobrietatem docet, & in humilibus quiescit; constat profectò hos à sapientia alienos esse qui ita prȩsumunt de opinione sua, vt non possint audire alienam: à quibus venerabilis Albertus, ne cum insipientibus & præsumentibus computaretur, alienus est; quia quasi numquam suas ponit opiniones cum præiudicio aliorum. Vnde eò certior sua doctrina, quantò ipse per sobrietatem atque humilitatem erat sapientior. In primis igitur scripsit super octo Libros Physicorum, v. De cælo & mundo, v. De natura locorum, v. h. De causis proprietatum elementorum. De generatione & corruptione. De Scientia Meteororum, v. h. De Vniuersalibus. De anima, v. h. De nutrimento & nutribili, v. h. De somno & vigilia, v. h. De diuinatione & prophetia. nec putare debent inscij quòd de diuinatione super-

superstitiosa hic Liber sit, sed de naturali; de qua dicit in secundo scripto, Distinctione VII. vbi sic ait: *Pro tanto concedo diuinationes astrorum sicut Augustinus, & non amplius*. Nec similiter de prophetia quæ donum est, vt Theologi accipiunt; sed naturali, de qua in De somno & vigilia aliqua posuit. Item De sensu & sensato, v.h. De motibus animalium, v.h. De respiratione & inspiratione, v.h. De differentia spiritus & animæ. De intellectu & intelligibili, v.h. De iuuentute & senectute, v. h. De morte & vita, v.h. De vegetabilibus & plantis, v.h. De animalibus Librum diuisum in multos libros partiales, qui de manu propria eius conscriptus, Coloniæ in Prædicatorũ Conuentu habetur, sicut & super Matthæum, v.h. Item scripsit paruam Summam Philosophiæ, quæ intitulatur *Philosophia pauperum*; quidam autem dubitant an sit eius, v.h. Item Librum contra Auerroistas. De vnitate intellectus, Libros tres. Quæstiones contra Auerroistas. Item Librum De vnitate formæ. Item Librum vnum quindecim Quæstionum. Item notandum quòd est Liber qui in-

titulari solet, *Albertus de natura rerum.* sed hic non est eius, sed ipsius Fratris Thomæ, auctoris Libri Apum, Alberti discipuli; & hoc constat verum esse ex Prologo Libri Apum, & etiam ex ipso Libro de Naturis rerum: in Prologo enim Libri Apum dicit se collegisse Librum de Naturis rerum per quatuordecim vel quindecim annos; & hoc idem ait in Libro de Naturis rerum: imò & stilus indicat quòd ab Alberto editus non sit Liber ille, & hoc idem testatur Frater Iacobus de Zuzato, Magister in Theologia, in sua Chronica: qui etiam dicit de eodem Thoma, quòd ipse transtulit omnes Libros Aristotelis, Rationalis, Naturalis, & Moralis Philosophiæ, & Metaphysicæ, de Græco in Latinum, verbum è verbo, quibus nunc vtimur in Scholis, & hoc ad instantiam sancti Thomæ de Aquino; nam temporibus Alberti translatione veteri omnes communiter vtebantur. Quæ autem translatio verior sit, hæc scilicet noua, vel antiqua, mihi non constat. Sed & ipse idem Thomas, auctor Libri Apum, in Libro de Naturis rerum dicit se transtulisse vnum Librum

brum cuiuſdam Philoſophi nomine Tetel De ſcripturis lapidum in Latinum. Ex qua autem lingua, Hebræa ſcilicet vel Græca, non dicit. Scripſit etiam Albertus Magnam Philoſophiam, ſcilicet Moralem, valdè per longum ſuper Libros Ethicorum dupliciter, ſcilicet per modum commenti, & per modum ſcripti, v.h. De Monaſtica Libros quinque, v.h. De Oeconomica Libros quatuor, v.h. De Politica Libros octo, v.h. Item expoſuit ad litterã omnes Libros Moralis Philoſophiæ Ariſtotelis. Item Problemata Ariſtotelis. Item expoſuit etiam tres Libros Rhetoricorum.

Omnes ſcientias Mathematicas copioſiſſimè pertractauit: nam ipſe fecit Summam De ſcientia Arithmeticæ. Item aliam De ſcientia Muſicali. Item aliam De ſcientia Geometriæ. Item aliam De ſcientia perſpectiua. Item aliam De ſcientia Aſtronomiæ. Item commentauit Arithmeticam Boëtij, Muſicam eiuſdem, Geometriam Euclidis, Almageſtum Ptolemæi, Speculum Aſtrolabicum. Et notandum quòd Aſtrolabium non eſt omnino illicitum; ſed tunc tantùm quando quis eo vtitur

ad quod institutum non est; sicut illi qui per tale instrumentum diuinare volunt & indicare furem ignotum, & similia, quod in Iure reprobatum est. Vti autem Astrolabio vt Astronomi, sine superstitione, licitum est. Dicitur autem Astrolabium, eò quòd per ipsum ostenditur qualiter astra labuntur. Item scripsit super Perspectiuam Alacenis. Item fecit librum De sphæra mundi. Librum astrorum. De Alchimia autem scripsit aliqua in Libro Mineraliũ, v.h. vbi fallacias ostendit Alchimistarum, & errores varios eorumdem, dicens quòd ferè omnes deceptores sunt. De Libro autem qui *Semita recta* dicitur, superiùs probatum est quòd Alberti non sit; imò specialiter iste Liber damnatur ab Alberto in Libro Mineralium, vt patuit. Item fecit Albertus Speculum Astronomiæ, in quo reprobat scientias magicas, scilicet Nigromantiam quæ pluribus modis fit; imagines Astronomicas, quas vicinitatem dicit habere ad Nigromanticas, & ideò non vult eas defendere. & addit, *Non commendo eas*. Damnat etiam in eodem Speculo Geomantiam, Hydromantiam, Pyro-

Pyromantiam, Aërimantiam, Chiromantiam, Aurufpicium, Horofcopiam, Annulos, Præftigia; atq; Libros Aftronomiæ licitos ab illicitis diftinguit; vbi autem dubium eft, fub dubio derelinquit, damnatque ibidem characteres & fuffumigationes Nigromanticorum & Specula, v.h. Item fecit Librum de Natura deorum in plures partes diftinctum. Item Librum de Secretis fecretorum. Hic alius eft ab alio qui intitulatur *De fecretis mulierum*, & Alberti non eft, vt fuprà probatum eft. Item Librum de Duodecim Alphabetis. Item Librum de Interpretationibus fomniorum; & qualiter hęc interpretatio quandoque fine fuperftitione fit, in fuo De fomno & vigilia aliqualiter notatum eft. Item Librum de Magiftris purgandis & eligendis.

In Logicalibus fcripfit per longum; fcilicet de Vniuerfalibus Librũ vnum, de Prædicamentis, de Sex principiis, fuper Peri hermenias, v. h. de Diffinitionibus, fuper Libros Priorum Topicorum, v. Pofteriorum Elenchorum.

Item de Libris Grammaticalibus fecit Summam Grammaticalem. Item

fecit Librum de Arte Rhetorica. Item exposuit antiquos Doctores Grammaticales, scilicet Priscianum in maiori & minori voluminibus, & alios Auctores. Item altissimo stilo scripsit primam Philosophiam, quæ Metaphysica dicitur, in qua posuit XIII. Libros, v.h. Item Librum de Causis, ad complementum Metaphysicę, v.h. Fecit Librum de Medicina. Item Librum de Lanificio. Item Librum de Aratura. Item Librum de Agricultura. Item Librum de Nauigatione. Et multa alia tam in Theologicis quàm alijs scientijs edidit, quæ ad notitiam nostram non peruenerunt. Notandum tamen, quòd isti Libri hîc enumerati, feruntur ab Alberto editi; non tamen inueni eos omnes signatos in Legenda quæ Coloniæ habetur, nec in ipsa quæ apud Zuzatum est, vbi Monasterium ipse Albertus instituit; sed in aliis Libris quibusdam qui continebant ipsam Legendam reperi; quapropter non sum ita certus de omnibus hîc enumeratis, quemadmodum de illis quos vidi. Et licet non sit impossibile ipsum fecisse hos omnes, solent tamen quandoque attribui Libri Doctoribus,

qui

qui ipſorum non ſunt; ideò volui notare ſignanter quos vidi, vel quos habemus in noſtro Conuentu Colonienſi, ne alicui dubium ſuper his oriatur. De aliis autem hîc poſitis ſpecialiter qui rarò reperiuntur, vt eſt de Secretis ſecretorum, & nonnullis in Aſtronomia; poteſt Lector prudens faciliter, ſi in Alberti doctrina peritus eſt, inuenire ex ſtilo & materia ſi ipſius ſunt vel non, dum ad manus legentis peruenerint. Quos autem vidi, tali ſigno notaui, v. Si verò vidi, & habemus, huiuſmodi volui notare ſigno, v h. vt de leuitate non arguamur: Sancti enim mendaciis commendari non volunt, cùm veritatem conſtat eos amaſſe, & nunc amare.

CAPVT XLIV.

Qualiter indicauit Fratribus ſignum ſui obitus, & qualiter beata Virgo ipſi hoc ſignum promiſerat.

CVM verò quadam vice venerabilis Albertus iam ſenio confectus in Colonienſi Conuentu legeret præſente copioſa audientium multitudine; in

colligendis ac dicendis quibuſdam rationibus memoria ipſius vacillabat. Cumque omnes præſentes, ex hoc quod acciderat, eſſent non modicùm ſtupefacti, ipſe Albertus, poſt paululum temporis quo tacuerat, ſpiritu confortatus, in eiſdem Scholis, omnibus præſentibus dixit: *Audite, quæſo, Fratres chariſſimi. En refero vobis noua pariter & antiqua. Cùm enim in annis iuuenilibus conſtitutus hebes ingenio eſſem, nec ſociis in ſtudio æqualis haberer, ſed ſine profectu minor in ſcientia manſiſſem; quadam ſum puerili impatientia permotus ob huiuſmodi hebetudinem, quia nondum profeſſus, de Ordine exire mente diſpoſui. Cùm igitur ſic perſeuerarem in propoſito concepto, ecce in ſomnis viſio mihi talis illabitur. Videbar namque mihi ſcalam muris Conuentus apponere, præparans me ad receſſum: cumque ſcalam ſic imaginariè aſcenderem, aſpicio ex aduerſo quatuor venerandas perſonas, vultu multùm præclaras; quarum vna primò me deſcendere impulit quaſi ad caſum. Secundò aſcenſum peto, & iterùm impulſus ſum à ſecunda. Cùm verò tertiò aſcendere tentaſſem, ait tertia ad me: Et quæ cauſa tui aſcenſus inuere-*

uerecundo aspectu? At ego illi: Obtusus ingenio sum, ceteris inferior scientia maneo; præ rubore ex Ordine hoc recedo. At illa: Ecce nobiscum est dulcis illa Genitrix Dei Maria, misericordiæ mater, cuius nos sumus ancillæ: si ad hanc refugium habueris, vnà tecum ad hanc preces fundemus pro te, vt, quòd postulas, impetrare valeas. Quo audito, lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; & dico ad illas: Libenter facio quæ dicitis; sed deprecor vt aduocatas vos habeam apud illam in ijs quæ desidero. Orabant igitur pro me Genitricem Dei. quæ ait ad me: Quid tibi petis dari? Cui ego: O Domina, Philosophiæ scientiam dari mihi postulo tua intercessione. Impetrasti, inquit illa; ecce data est petitio tua: sed studio diligenter intende. Mansi igitur in Ordine sic exhortatus ab illa, consecutus oratione & studio per gratiam Dei quod in promissione acceperam. Sæpissimè quoque impetraui oratione, quod legendo capere nequibam. Frequenter autem Matrem misericordiæ Genitricem Dei gemitibus & orationibus rogare consueueram, vt lumine diuinæ sapientiæ illustrari mererer interuentu suo; ac in fidei soliditate cor meum confirmaret, ne Philosophorum rationibus

illaqueatus de Christi fide dubitarem. Tandem verò piissima illa Mater mihi apparens, consolando dixit: Esto fideliter in studio & virtutibus perseuerans; Deus namque tua doctrina Ecclesiam suam totam illustrare disposuit; & ne in fide vacillare te contingat, omnis Syllogistica ars ante mortem tuam auferetur à te, & in innocentia puerili atque sinceritate ac veritate fidei ab hoc sæculo te Deus assumet. Notitiam verò huius temporis hoc signo scies, quia defectum memoriæ in publica sustinebis lectione. Fratres igitur amantissimi, quoniam hæc eueniunt, iam cognosco tempus adesse. Vnde nunc coram vobis confiteor publicè & protestor, omnes ac singulos fidei Christianæ articulos me firmiter & incunctanter credere. Supplico denique humiliter & deuotè, Ecclesiastica mihi exhiberi Sacramenta tempore opportuno. Si autem aliquid dixero vel scripsero in futurum, nullius ponderis æstimetis, si fidei non concordat. Quibus dictis, profusus lacrymis de cathedra descendit. Quæ res dum Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Coloniensi Domino Siffrido de Westerburch in notitiam deuenisset, qui

ipsum

ipſum multùm dilexerat, compaſſionis affectu lacrymatus eſt.

CAPVT XLV.

Albertus iam ſenex ſibi mortem ſciens imminere, quotidie viſitat ſepulchrum ſuum, legens Vigilias Mortuorum pro ſe; & de obitu ipſius ac ſepultura.

ITAQVE venerabilis Pater Albertus tali ſigno ſui receſſus certificatus, ex tunc numquam aliquid ſcripſit; ſed quaſi puer innocens & columbinus inter Frâtres, quamdiu ſuperuixit, conuerſatus eſt, orationibus continuis inſiſtendo. Nam locum ſuæ ſepulturæ quotidie viſitans, Vigilias Defunctorum pro ſe, iam mundo mortuus, dicebat. Poſt hoc autem, breui temporis ſpatio interiecto, anima illa laborioſa & ſancta à carne ſoluta eſt: anno ſiquidem Domini M.CC.LXXX. quintadecima die Nouembris, conſummatis vitæ ſuæ annis octoginta ſeptem, glorioſus ſenex in cella ſua ſedendo ſuper ſedile, circumſtantibus eum Fratribus, ac orantibus,

bus, vbertimque flentibus, in Coloniensi Conuentu feliciter in Domino obdormiuit; completis verò in Ordine Fratrum Prædicatorum annis ferè septuaginta. Congregatione igitur facta omnium Collegiatarum Ecclesiarum in Colonia, necnon Nobilium in circuitu per Dominum Siffridum Archiepiscopum sæpè dictum, solemniter ac digna cum veneratione tumulatur in Choro Fratrum Prædicatorum ante Altare maius. Epitaphium verò lapidi inscriptum quo sepulchrum clauditur istud est: *Anno Domini* M. CC. LXXX. XVII. *Kal. Decembris, obiit venerabilis Dominus Frater Albertus quondam Ecclesiæ Ratisponensis Episcopus, Ordinis Prædicatorum Magister in Theologia. Requiescat in pace, Amen.* Aliud autem Epitaphium dependens ad sepulchrũ ipsius tale est:

Phœnix Doctorum, ac paris expers, Philosophorum
Princeps, verborum vox fundens dogma sacrorum
Hic iacet Albertus, præclarus in orbe, disertus
Præ cunctis, certus assertor in arte repertus,

Maior

Maior Platone, vix inferior Salomone.
Quem tu Christe bone Doctorum iunge coronæ.
Annis bis denis minùs actis mille trecenis
Christi nascētis, de corporis exit habenis
Quinta post festum Martini luce, molestum
Omne, petendo Deum, transiuit; agens iubileum.
Qui legit hos versus, mox ad tumulum retrouersus,
INCLINA *dicat Collectam cum* REQVIESCAT.

CAPVT XLVI.

Quòd miracula fecit in vita, quæ tamen in particulari non sunt scripta propter negligentiã Fratrum.

QVAMVIS autem miracula multa venerabilis Albertus in vita perfecerit, scripto tamen in singulari non sunt commendata ex incuria Fratrum: nam & de beato Patre nostro Dominico legitur quòd multa miracula per ipsum facta obliuioni tradita sunt ob Fratrum

CAPVT XLVIII.

De miraculo quod contigit, antequam fuit ſepultus, circa eius venerabile corpus.

QVALITER verò Dominus de Alberti ſalute nos certos reddidit & gloria, ſubſequens prodit miraculum. Nam Scriptor Legendæ beati Thomæ, ob commendationem diſcipuli maiorem, de Magiſtro Alberto mirabile quid in eadem Legenda commemorat, ſub iſto tenore verborum proſequens ſermonem: *Nec vacat*, inquit, *à commendatione diſcipuli, ſi aliqua ſubiungamus de commendatione Magiſtri. Erat Magiſter Albertus in omnibus ſcientiis ſingularis excellentiæ, cuius corpus præ deuotionis gratia requiſitum in tumba, quod poſitum fuerat, vt eſt conſuetudo, ſupinum; inuentum eſt, vt ſibi moris erat dum viueret, quaſi in oratione recumbens. Cui diſcipulum, ſcilicet Thomam, diuinus Spiritus mirabiliter adæquauit.* hæc in Legenda ſancti Thomæ.

Ex iam dictis verbis clarè notatur, hoc miraculum factum fuiſſe in Alberti

ti corpore diuino nutu, mox poſt obitum ipſius, cùm nondum traditum eſſet ſepulturæ; quia pertinenter dicit requiſitum fuiſſe ex deuotione Fratrum in tumba, non in ſepulchro: ex quo enim Dominus Siffridus Colonienſis Archiepiſcopus ipſum honorificè vnà cum Collegiis & Nobilibus per circuitum ciuitatis Colonienſis, vt ſuperiùs notatum eſt, ſepulturæ tradidit, conſtat per aliquot dies corpus Alberti inſepultum in tumba iacuiſſe, antequam Nobiles præfati iuſſu Domini Siffridi ad ſepeliendum ipſum conuenirent: in quo tempore nimirum Fratres præ deuotione accedentes tumbam, vti prædilecti Magiſtri ſui corpus videre cupiunt & requirunt; ſicque factum eſt vt pretioſam illam glebam, corpus videlicet tanti Pontificis, ad modum orantis inuenirent. Quo profectò miraculo omnipotens Deus palàm facere voluit ſui famuli dignitatem & gloriam, oſtendens hoc mirabili facto quantum viuens ad ſuperna orando rapi conſueuerat, cùm etiam corpus exanime ſeſe diuino nutu in altum leuando quaſi orans erigebat. In hoc ſiquidem ſimilis beato

Paulo

Paulo primo Eremitæ, de quo ſimile quaſi legitur, quia cùm in oratione ſpiritum redderet flexis genibus, manſit ipſum corpus examine ſic extenſum ac ſi viueret; quod beatus Antonius ita inuenit.

CAPVT XLIX.

Contra fabulantes qui dicunt ipſum petiuiſſe à Deo Purgatorium.

QVIDAM autem phantaſtici, peruertentes ea quæ quandoque prædicari audiunt, ob ſuam ignorantiam longè aliter alijs inſinuant quàm prædicatum ſit; quemadmodũ de Alberto fieri contingit, de quo nonnulli recitare ſolent, quòd petierit decem dies eſſe in Purgatorio: alij dicunt quinque aut tres, & poſteà apparuiſſe, & dixiſſe quòd ſtultè petiuiſſet, quia magna eſſet pœna. Alij adhuc magis addentes, dicunt quòd hoc petiuiſſet in hunc modum, dicens ad Angelum qui ad ipſum miſſus fuerat: Omnia expertus ſum quæ in mundo ſunt, volo etiam experiri Purgatorium. Hęc & ſimilia alia dicunt fabulantes; & quia fortaſſis quidã qui nimis

nimis leues sunt ad scribendum quæcumque audiunt, possent hanc fabulam tamquam verum aliquid notare, placuit inserere hoc, vnde ortum habeat fabula præfata. Nam in secundo Libro Apum cap. LXXVII. Auctor eiusdem Libri inter alia dicit in hunc modum: *Quanta autem prudentia sit, pœnitentiam agere in hac vita, exemplum subsequens demonstrauit. Erat vir fidelis & bonus, sicut Magister Albertus Ordinis Prædicatorum, & post Ratisponensis Episcopus, sibi ab ijs qui rem familiariter nouerant, traditum referebat, qui post diutinam pœnitentiam quam sanus fecerat, incidit in languorem grauissimum; quo per annum non modicè tribulatus, rogauit cum lacrymis Dominum vt tanto languori finem imponeret data morte. Nec mora, missus ad eum Angelus Domini dixit ei: Exaudiuit Dominus precem tuam; sed eligas quod vis. Aut tribus diebus Purgatorij pœna torqueberis, si nunc decedis; aut si adhuc per annum in languore manere volueris, sine vllo Purgatorio ad superos euolabis. Tunc ille pœnam præsentem recolens, nec futuram aduertens respondit: Mori potiùs eligo, & non tantùm tribus diebus, sed quantum*

colligendis ac dicendis quibuſdam rationibus memoria ipſius vacillabat. Cumque omnes præſentes, ex hoc quod acciderat, eſſent non modicùm ſtupefacti, ipſe Albertus, poſt paululum temporis quo tacuerat, ſpiritu confortatus, in eiſdem Scholis, omnibus præſentibus dixit: *Audite, quæſo, Fratres chariſſimi. En refero vobis noua pariter & antiqua. Cùm enim in annis iuuenilibus conſtitutus hebes ingenio eſſem, nec ſociis in ſtudio æqualis haberer, ſed ſine profectu minor in ſcientia manſiſſem; quadam ſum puerili impatientia permotus ob huiuſmodi hebetudinem, quia nondum profeſſus, de Ordine exire mente diſpoſui. Cùm igitur ſic perſeuerarem in propoſito concepto, ecce in ſomnis viſio mihi talis illabitur. Videbar namquè mihi ſcalam muris Conuentus apponere, præparans me ad receſſum: cumque ſcalam ſic imaginariè aſcenderem, aſpicio ex aduerſo quatuor venerandas perſonas, vultu multùm præclaras; quarum vna primò me deſcendere impulit quaſi ad caſum. Secundò aſcenſum peto, & iterùm impulſus ſum à ſecunda. Cùm verò tertiò aſcendere tentaſſem, ait tertia ad me: Et quæ cauſa tui aſcenſus inuere-*

uerecundo aspectu? At ego illi: Obtusus ingenio sum, ceteris inferior scientia maneo; præ rubore ex Ordine hoc recedo. At illa: Ecce nobiscum est dulcis illa Genitrix Dei Maria, misericordiæ mater, cuius nos sumus ancillæ: si ad hanc refugium habueris, vnà tecum ad hanc preces fundemus pro te, vt, quòd postulas, impetrare valeas. Quo audito, lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi; & dico ad illas: Libenter facio quæ dicitis; sed deprecor vt aduocatas vos habeam apud illam in ijs quæ desidero. Orabant igitur pro me Genitricem Dei. quæ ait ad me: Quid tibi petis dari? Cui ego: O Domina, Philosophiæ scientiam dari mihi postulo tua intercessione. Impetrasti, inquit illa; ecce data est petitio tua: sed studio diligenter intende. Mansi igitur in Ordine sic exhortatus ab illa, consecutus oratione & studio per gratiam Dei quod in promissione acceperam. Sæpissimè quoque impetraui oratione, quod legendo capere nequibam. Frequenter autem Matrem misericordiæ Genitricem Dei gemitibus & orationibus rogare consueueram, vt lumine diuinæ sapientiæ illustrari mererer interuentu suo; ac in fidei soliditate cor meum confirmaret, ne Philosophorum rationibus

illaqueatus de Christi fide dubitarem. Tandem verò piissima illa Mater mihi apparens, consolando dixit: Esto fideliter in studio & virtutibus perseuerans; Deus namque tua doctrina Ecclesiam suam totam illustrare disposuit; & ne in fide vacillare te contingat, omnis Syllogistica ars ante mortem tuam auferetur à te, & in innocentia puerili atque sinceritate ac veritate fidei ab hoc sæculo te Deus assumet. Notitiam verò huius temporis hoc signo scies, quia defectum memoriæ in publica sustinebis lectione. Fratres igitur amantissimi, quoniam hæc eueniunt, iam cognosco tempus adesse. Vnde nunc coram vobis confiteor publicè & protestor, omnes ac singulos fidei Christianæ articulos me firmiter & incunctanter credere. Supplico denique humiliter & deuotè, Ecclesiastica mihi exhiberi Sacramenta tempore opportuno. Si autem aliquid dixero vel scripsero in futurum, nullius ponderis æstimetis, si fidei non concordat. Quibus dictis, profusus lacrymis de cathedra descendit. Quæ res dum Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Coloniensi Domino Siffrido de Westerburch in notitiam deuenisset, qui ipsum

ipſum multùm dilexerat, compaſſionis affectu lacrymatus eſt.

CAPVT XLV.

Albertus iam ſenex ſibi mortem ſciens imminere, quotidie viſitat ſepulchrum ſuum, legens Vigilias Mortuorum pro ſe; & de obitu ipſius ac ſepultura.

ITAQVE venerabilis Pater Albertus tali ſigno ſui receſſus certificatus, ex tunc numquam aliquid ſcripſit; ſed quaſi puer innocens & columbinus inter Fratres, quamdiu ſuperuixit, conuerſatus eſt, orationibus continuis inſiſtendo. Nam locum ſuæ ſepulturæ quotidie viſitans, Vigilias Defunctorum pro ſe, iam mundo mortuus, dicebat. Poſt hoc autem, breui temporis ſpatio interiecto, anima illa laborioſa & ſanctâ carne ſoluta eſt: anno ſiquidem Domini M.CC.LXXX. quintadecima die Nouembris, conſummatis vitæ ſuæ annis octogintaſeptem, glorioſus ſenex in cella ſua ſedendo ſuper ſedile, circumſtantibus eum Fratribus, ac orantibus,

bus, vbertimque flentibus, in Coloniensi Conuentu feliciter in Domino obdormiuit; completis verò in Ordine Fratrum Prædicatorum annis ferè septuaginta. Congregatione igitur facta omnium Collegiatarum Ecclesiarum in Colonia, necnon Nobilium in circuitu per Dominum Siffridum Archiepiscopum sæpè dictum, solemniter ac digna cum veneratione tumulatur in Choro Fratrum Prædicatorum ante Altare maius. Epitaphium verò lapidi inscriptum quo sepulchrum clauditur istud est: *Anno Domini* M. CC. LXXX. XVII. *Kal. Decembris, obiit venerabilis Dominus Frater Albertus quondam Ecclesiæ Ratisponensis Episcopus, Ordinis Prædicatorum Magister in Theologia. Requiescat in pace, Amen.* Aliud autem Epitaphium dependens ad sepulchrũ ipsius tale est:

Phœnix Doctorum, ac paris expers, Philosophorum
Princeps, verborum vox fundens dogma sacrorum
Hic iacet Albertus, præclarus in orbe, disertus
Præ cunctis, certus assertor in arte repertus,

Maior

Maior Platone, vix inferior Salomone.
Quem tu Christe bone Doctorum iunge coronæ.
Annis bis denis minùs actis mille trecenis
Christi nascētis, de corporis exit habenis
Quinta post festum Martini luce, molestum
Omne, petendo Deum, transiuit; agens iubileum.
Qui legit hos versus, mox ad tumulum retroversus,
INCLINA *dicat Collectam cum* REQVIESCAT.

CAPVT XLVI.

Quòd miracula fecit in vita, quæ tamen in particulari non sunt scripta propter negligentiã Fratrum.

QVAMVIS autem miracula multa venerabilis Albertus in vita perfecerit, scripto tamen in singulari non sunt commendata ex incuria Fratrum: nam & de beato Patre nostro Dominico legitur quòd multa miracula per ipsum facta obliuioni tradita sunt ob Fratrum

trum indiſcretam humilitatem : quæ profectò humilitas inter Fratres & Alberti tempore perſeuerabat, nec tunc miracula facere pro magno habebatur, cùm multi ex Fratribus illo in tempore hoc dono claruerunt, ſicut refert Liber qui Vitas-Fratrum intitulatur,& quemadmodum Auctor Libri Apum commemorationem de quibuſdam faciens, particularia miracula tacet, nihilominùs tamen in generali ea ponere voluit, ſicut facit de Magiſtro Salomone, de quo dicit,quòd in ſenio Ordinem Prædicatorum Coloniæ intrauerat, & per totam Teutoniam doctrina & miraculis clarens, ſanctiſſimo fine quieuit in Colonia; cuius tamen miracula in ſpeciali non reperiuntur, nec locum ſepulturæ ſcimus, ſicut & de aliis & magnis & ſanctis viris, quorum corpora ignorantur propter negligentiam & humilitatem Fratrum. Verùm & de beatiſſimo Auguſtino hiſtoriam ſcribens, pænè nulla de eodem Doctore narrat miracula, niſi hæc tantùm, & quidem ſatis breuiter, dicens ſub hac verborum forma: *Noui Auguſtinum pro energumenis oraſſe quibuſdam, & liberatos à maligno.*

& alius quidam cùm ægrotum illi præsentasset, orauit pro eo Augustinus, & sanatus est. Non autem alia vel plura describit de Augustino miracula. Sic pari modo & Auctor Libri Apum Alberti vitam, tamquam discipulus eius per longum tempus existens, peroptimè sanctam nouit, vt testatur, de miraculis ipsius breuiter locutus est, dicens post alia in hunc modum: *De Alberto dicimus, quòd miraculis multis claruit, quæ eius vitæ meritum ostendunt.*

CAPVT XLVII.

Quòd meritis Alberti Frater quidam à capitis dolore liberatur.

FRATER autem quidam graui dolore capitis vexatus, non diffidens de Alberti meritis apud Deum, cum fiducia accepto beati viri bireto imponit proprio capiti; & ecce protinus omnis molestia fugata est, pleneque conualuit.

CAPVT XLVIII.

De miraculo quod contigit, antequam fuit sepultus, circa eius venerabile corpus.

QVALITER verò Dominus de Alberti salute nos certos reddidit & gloria, subsequens prodit miraculum. Nam Scriptor Legendæ beati Thomæ, ob commendationem discipuli maiorem, de Magistro Alberto mirabile quid in eadem Legenda commemorat, sub isto tenore verborum prosequens sermonem: *Nec vacat*, inquit, *à commendatione discipuli, si aliqua subiungamus de commendatione Magistri. Erat Magister Albertus in omnibus scientiis singularis excellentiæ, cuius corpus præ deuotionis gratia requisitum in tumba, quod positum fuerat, vt est consuetudo, supinum; inuentum est, vt sibi moris erat dum viueret, quasi in oratione recumbens. Cui discipulum, scilicet Thomam, diuinus Spiritus mirabiliter adæquauit.* hæc in Legenda sancti Thomæ.

Ex iam dictis verbis clarè notatur, hoc miraculum factum fuisse in Alberti

ti corpore diuino nutu, mox post obitum ipsius, cùm nondum traditum esset sepulturæ; quia pertinenter dicit requisitum fuisse ex deuotione Fratrum in tumba, non in sepulchro: ex quo enim Dominus Siffridus Coloniensis Archiepiscopus ipsum honorificè vnà cum Collegiis & Nobilibus per circuitum ciuitatis Coloniensis, vt superiùs notatum est, sepulturæ tradidit, constat per aliquot dies corpus Alberti insepultum in tumba iacuisse, antequam Nobiles præfati iussu Domini Siffridi ad sepeliendum ipsum conuenirent: in quo tempore nimirum Fratres præ deuotione accedentes tumbam, vti prædilecti Magistri sui corpus videre cupiunt & requirunt; sicque factum est vt pretiosam illam glebam, corpus videlicet tanti Pontificis, ad modum orantis inuenirent. Quo profectò miraculo omnipotens Deus palàm facere voluit sui famuli dignitatem & gloriam, ostendens hoc mirabili facto quantum viuens ad superna orando rapi consueuerat, cùm etiam corpus exanime sese diuino nutu in altum leuando quasi orans erigebat. In hoc siquidem similis beato

Paulo

Paulo primo Eremitæ, de quo simile quasi legitur, quia cùm in oratione spiritum redderet flexis genibus, mansit ipsum corpus examine sic extensum ac si viueret; quod beatus Antonius ita inuenit.

CAPVT XLIX.

Contra fabulantes qui dicunt ipsum petiuisse à Deo Purgatorium.

QVIDAM autem phantastici, peruertentes ea quæ quandoque prædicari audiunt, ob suam ignorantiam longè aliter alijs insinuant quàm prædicatum sit; quemadmodū de Alberto fieri contingit, de quo nonnulli recitare solent, quòd petierit decem dies esse in Purgatorio: alij dicunt quinque aut tres, & posteà apparuisse, & dixisse quòd stultè petiuisset, quia magna esset pœna. Alij adhuc magis addentes, dicunt quòd hoc petiuisset in hunc modum, dicens ad Angelum qui ad ipsum missus fuerat: Omnia expertus sum quæ in mundo sunt, volo etiam experiri Purgatorium. Hęc & similia alia dicunt fabulantes; & quia fortassis quidā qui nimis

nimis leues ſunt ad ſcribendum quæcumque audiunt, poſſent hanc fabulam tamquam verum aliquid notare, placuit inſerere hoc, vnde ortum habeat fabula præfata. Nam in ſecundo Libro Apum cap. LXXVII. Auctor eiuſdem Libri inter alia dicit in hunc modum: *Quantæ autem prudentiæ ſit, pœnitentiam agere in hac vita, exemplum ſubſequens demonſtrauit. Erat vir fidelis & bonus, ſicut Magiſter Albertus Ordinis Prædicatorum, & poſt Ratiſponenſis Epiſcopus, ſibi ab ijs qui rem familiariter nouerant, traditum referebat, qui poſt diutinam pœnitentiam quam ſanus fecerat, incidit in languorem grauiſſimum; quo per annum non modicè tribulatus, rogauit cum lacrymis Dominum vt tanto languori finem imponeret data morte. Nec mora, miſſus ad eum Angelus Domini dixit ei: Exaudiuit Dominus precem tuam; ſed eligas quod vis. Aut tribus diebus Purgatorij pœna torqueberis, ſi nunc decedis; aut ſi adhuc per annum in languore manere volueris, ſine vllo Purgatorio ad ſuperos euolabis. Tunc ille pœnam præſentem recolens, nec futuram aduertens reſpondit: Mori potiùs eligo, & non tantùm tribus diebus, ſed quan-*

tum

tum Domino placuerit, in Purgatorio tribulari. Fiat, inquit Angelus, ſecundùm verbum. Nec mora, languens morte ſolutus eſt, & eius anima in Purgatorium deportata. Vno ergo exacto die venit Angelus ad locum Purgatorij vbi anima torquebatur; & dixit ei: Quid nunc agis, ô anima, quæ pro languore vnius anni tribus diebus elegiſti in Purgatorio detineri? Cui anima: O ſeductor, non Angelus! qui me in pœnis multis annorum curriculis pro dierum ſpatiis fefelliſti. Et Angelus: Non mora, inquit, ſed inæſtimabili tortura decepta es; quia non niſi vnum diem de tribus in Purgatorio peregiſti: tamen tu adhuc ſi retractare volueris quod elegiſti, Dominus miſeretur vt ad corpus tuum, quod nondum ſepultum eſt, reporteris, & per annum vnum languorem quem expertus es patiaris. Cui anima, Annuo, inquit, vt non per annum tantùm, ſed vſque in finem mundi languore etiam detineär acriori. Hoc dicto anima reportatur ad corpus, & per annum vnum languore detenta, multos quibus hoc retulit ad pœnitentiam animauit, & poſt annum iteratò defunctus, tranſiit ad ſuperna. hæc in Libro Apum. Ecce, hoc exemplum diſcipulus Alberti, ſcilicet Tho-

Thomas Brabantinus, auctor Libri Apum, ex ore Alberti se scripsisse refert: insuper dicit, eumdem Albertum hoc audiuisse ab ijs qui rem familiariter nouerant. Quomodo ergo prudens vir Albertus sibi elegisset Purgatorium, cùm sciebat hoc non esse petendum ex aliena tam dura experientia. Imò Albertus in Postilla sua dicit, quòd viri boni debent sibi dare tribulationes, vt sic purgari euadere possint pœnam Purgatorij. Et certè Albertus optimè sciebat ex fide, quòd acerbissima esset pœna Purgatorij: quod probatur ex scriptis ipsius, vbi ponit quid sit Purgatorium, & qualiter ignis agit in animas. Stultum est ergo dicere quòd sibi hanc pœnam elegisset.

CAPVT L.

Destructio alterius fabulæ confictæ loquacitate rudium.

ALIA fabula est, habens ortum ex aliquibus quæ scribit Auctor Libri Apum. Nam quidam grossi nonnumquam cùm libenter aliquid recita-

re vellent, mirabile fabulantur de Alberto quòd adamauerit filiam Regis Franciæ, & de Parisiis in conspectu multitudinis, vnà cum ipsa inuisibilis effectus Coloniam mirabiliter adduxerit eamdem. Quæ fabula ita fatua est, vt nemo ipsam audiens credat eam esse veram, sed fabulantem cum fabula derideat. Sed vnde ortum habeat, aperiendum est. Nam in secundo Libro Apum, cap. LXXXIV. ita habetur: *In partibus Teutoniæ plenißima Fratrum Prædicatorum & Minorum, præcipuè beatæ memoriæ Episcopi Ioannis Ordinis Prædicatorum attestatione percepi, puellam esse nobilissimam filiam Comitis de Swanenberg in Claustro Monialium enutritam, quæ per aliquas noctis horas à dæmonibus rapitur, & in ipso raptu inuisibilis & incontrectabilis comprobatur. Et hoc quidem cùm frater eius carnalis de Ordine Fratrum Minorum experiri certiùs voluisset, accepit dictam puellam sororem suam in gremio, & brachiis eam fortissimis strinxit ac tenuit; & tamen veniente hora, rapta de manibus tenentis inuisibiliter & incontrectabiliter tollebatur. Hoc exemplum Magister Albertus, Frater*

Ordinis

Ordinis Prædicatorum, Theologus, in disputatione Parisiis adduxit, cùm coram Episcopo Parisiensi prædicta Quæstio de raptu mulierum talium moueretur, sicut ab illis plena fide percepimus qui in Disputatione fuerunt. hæc omnia de verbo ad verbum in Libro Apum habentur. Ecce hoc exemplum de raptu nobilis puellæ Albertus adduxit in disputationem Parisiis coram Parisiensi Episcopo; & fabulatores, qui retinere non possunt rem gestam vt facta est, dum fabulari delectat, & mendacium effugere non curant, de Alberto fabulam vt libet fabricant, sicut & de Purgatorio superiùs notato faciunt. Huiusmodi igitur stulti fabulatores, ignorantes de quibus affirmant, taceant necesse est, cùm nulla suspicio de Alberto haberi potest in huiusmodi, eò quòd Parisiis ipse magnificus sit Doctor promotus, & ibi gratiosè legerit, amabilis & gratiosus cunctis, & præcipuus fuerit in Religione tunc temporis, quando disciplina & religio in Ordine permaximè floruit. Et quis non ipso auditu fabulam esse confictam deprehendit, cùm huiusmodi proles regia abduci per hominem in

Coloniam non posset sine pœna capitis? Nec certè latere potuisset Albertus sine infamia in aliquo mundi angulo, si hoc per ipsum fuisset admissum. Iam verò contrarium verum noscimus esse, quia ipse per totum mundum celebris famæ vsque in mortem extitit: vnde Episcopus effectus est, & extirpator multorum errorum in facie totius Ecclesiæ, vt superiùs probatum est.

CAPVT LI.

Destructio aliarum fabularum de Alberto confictarum.

Est proinde notandum, quòd Vincentius in secunda Parte Speculi historialis libro xx. cap. III. sic scribit: *Porrò sanctus Antidius Archiepiscopus martyrium subiit, qui aliquando in tertia Feria post Palmas transiens pontem Dini fluminis, vidit agmen dæmonum gesta sua principi suo referentium, & inter eos Æthiopem manu sandalium præferentem ad iudicium, quòd Romanum Præsulem cum hoc per septem annos impugnatum, tandem ad lapsum traxerit. Qui vocans*

ad se Æthiopem, & in virtute Dei & sanctæ Crucis super eum ascendens, præcepit vt eum Romæ sub manu Domini eadem velocitate qua venerat, saluum & incolumem perferret. Itaque dæmoni superpositus, illum sæpè versiculum iterans, Deus in adiutorium meum intende, &c. eo vectante Romam venit Feria quinta, hora celebrandi Officij. Et dæmone præ foribus expectante, Papæ rem retulit: negantem per sandalium ad pœnitentiam monuit, & Missa vice eius celebrata, & parte Chrismatis à se consecrati assumpta, dæmone reuectante ad Ecclesiam suam rediit Sabbato sancto hora celebrandi Officij. hæc Vincentius. Istud, vt audisti, Vincentius de sancto Antidio scribit: & immediatè ibidem adiungit quoddam prodigiosum quod contigit de gigantea muliere; cui præmittit cum rubrica hoc nomen *Sigebertus*, eò quòd ex illo sumpserit hoc quod scribit. Iam verò quidam non retinentes quæ legunt, nec aliquando intelligunt; cùm noui aliquid, vt placeant hominibus, dicere volunt, cudere fabulas non metuunt: & hoc ex iam præfato facto Antidij quidam faciunt, fabulantes de

Alberto. Dicunt enim quia Albertus cognouit lapſum Papæ, & vectante ſpiritu maligno ad cameram Summi Pontificis ſit perductus, vt impediret eum ne cum muliere peccaret. Adduntque alij quòd dæmoni iuſſit pontem quemdam ædificare, & præcipienti mox obediuit. & cùm hoc dicunt, neſciunt tamen vbi pons ille ſit ędificatus. Atque inferunt conſequenter, quòd ipſe etiam vno die duas Miſſas celebrauerit, aut tres, in diuerſis locis remotè à ſe diſtantibus; neſcio quas ciuitates nominant. Sed reuerà mentita eſt iniquitas ſibi; fabulæ enim ſunt ex loquacitate hominum fabulantium fabricatæ. & cùm huiuſmodi fabulantur, mirificè Albertum commendant, quòd tanta potuit facere. Ecce, de ponte mentio eſt habita in præfato exemplo de Antidio, vbi ei dæmones apparuerunt. Similiter quòd Miſſam celebrauerit Romæ pro Papa, diſtans remotè à ſua Diœçeſi. Fitque ibi relatio de dæmone eum vectante. Quæ dum mira ſunt, tres ex ijs de Alberto fabulas finxerunt. Nec hoc mirum alicui videatur, cùm quotidie huiuſmodi fieri ſolet ab idio-

tis,

tis, qui dum prædicant, multa falsa dicunt, etiam in ipsis Legendis Sanctorum: sed & populo quandoque dum in priuato narrare volunt quæ legerunt, longè aliter proferunt quàm res sit, propter suam ignorantiam, sicut notum est multis qui talia experiuntur.

CAPVT LII.

Contra alios fabulatores redargutio.

EST aliud quod fertur de Alberto, videlicet quòd ipse composuerit Sequentiam, *Salue Mater Saluatoris*, quæ decantari solet in Festo Assumptionis Virginis gloriosæ: de qua dicunt, quòd dum ipsam dictaret, atque ad illum versum veniret,

Salue mater pietatis,

& deliberaret qualiter continuaret versum ipsum, subitò venit illi in mentem quid subinferendum esset, & adiecit quod sequitur, videlicet,

Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.

quapropter obuiauit illi Virgo beata, & regratiabatur ei, dicens quòd num-

quam ſic ſalutata eſſet ab homine. Sed hæc relatio abſque dubio non eſt vera, cùm ſcimus ex Libro Apum quòd hæc Sequentia ſit facta à Fratre Adam de ſancto Victore; de quo etiam ibidem ſcribitur, quòd beata Virgo ei apparuit. Quòd autem attribuitur Alberto, non niſi ex ignorantia venit hominum, & inconſideratione ipſorum, qui fabulantur inuenta omnia quæ opinãtur vel cogitant. Sic quidam dicunt de Alberto, quòd totum mundum perambulauit cum Alexandro Magno: & quòd fuerit paruus in perſona; & vocatus per Papam, qui ei loqui voluit, acceſſerit, ſtans ante ipſum, & adeò paruus fuerit, vt Papa ipſum putaret flectere genua: quare dum diceret ei, Surge; reſpondit Albertus, ſe ſtare, & quia paruus corpore fuerit, ſed magnus ſcientia, impoſitum ſit illi hoc nomen Magnus.

Has fabulas hîc notare volui, vt cognoſcant ſinguli quid tenere debeant de ijs & ſimilibus, ſi eas ab aliquo proferri audierint: nam huiuſmodi fabulæ de multis Sanctis proferuntur, de quibus hîc longum eſt enarrare: ſicut de

Carolo

Carolo Magno, de quo dicunt quòd ſit admonitus per Angelum vt iret in campum ad quemdam à quo furari addiſceret; & ſimilia. Sic de ſancto Petro Apoſtolo multa à rudibus proferuntur, & vtinam non crederentur! Scio enim ciuitatem de qua fertur (ſi autem verum eſt, ignoro) quòd in tantum ibi inualuit opinio hæc, quòd omnes Petri ſunt mirabiles, vt nemo ibi aſſumatur ad Conſulatum vocatus hoc nomine. Et reuerà, ſi verum eſt quod dicitur, & perſeuerant in ſua ſententia, grauiter eſſent puniendi ob huiuſmodi perfidiam. Fabulis igitur refutatis, & fabulatoribus damnatis, veritatem Hiſtoriæ proſequamur.

CAPVT LIII.

Qualiter glorioſus apparuit Albertus ſocio ſuo poſt obitum in Eccleſia.

MVLTIS autem modis Dominus gratiam ſancti huius viri ſuis fidelibus reuelare dignatus eſt: nam Frater Gotfridus de Duyſburck Alberti ſocius & miniſter, poſt mortem vene-

rabilis Alberti, ieiuniis, lacrymis, & orationibus continuis pro eius anima Dominum exorabat. Cui Fratri post Matutinas in Ecclesia oranti & vigilanti Albertus visibiliter apparuit cum splendore mirabili nobilissimis vestibus Pontificalibus adornatus; in capite mitram habens Pontificalem, in cuius fronte erat magnus lapis pretiosus, qui splendore mirabili plures ex se radios emittens, totam illustrabat Ecclesiam: indumentis autem eius inserti erant multi lapides pretiosi. Frater verò hæc videns, stupens præ admiratione tam mirabilis visionis, Albertumque recognoscens, quærit qualiter sibi esset. Cui ille: Optimè, fili mi, humani enim sensus capaces non sunt gloriæ & claritatis, quibus me sua pietate Dominus decorauit; quas corporalis hæc pulchritudo insinuat. Candores enim radiorum de gemma frontis copiosiùs effluentes, & noctem quasi in meridie illustrantes, inexplicabilem gloriã quam adeptus sum designant. Alij autem lapides pretiosi, Libri sunt multi & Opera Scripturæ, quæ ad defensionem fidei, declarationemque diuinæ sapientiæ ip-

ſe dono Dei expoſui. Et ſicut in vita mortali viuens multos de ignorantiæ tenebris ad veritatis lumen & diuinæ cognitionis eduxi, ſic altiùs ad gloriam meam cumulandam donauit mihi Dominus ab omni pœna Purgatorij ſex millia animarum meis ſuffragiis liberare: & diſparuit his dictis. Nec impoſſibile videatur alicui, tot animas de Purgatorio poſſe liberari Alberti ſuffragio, cùm Gregorius Turonenſis Epiſcopus in vno Sermone de ſancto Laurentio, teſtatur de eodem Martyre, quòd ſingulare priuilegium habeat ſuper animas in Purgatorio, ita vt in qualibet hebdomada ſexta Feria per ipſum vna anima liberetur à pœnis Purgatorij. Ponit enim idem Doctor Gregorius ad confirmationem ſui dicti exemplum de hoc, ſic inferens: *Abbas probatæ Religionis Monaſterij ſancti Laurentij deſiderabat à Deo ſcire quanti meriti eſſet idem Martyr apud Deum. Et ecce cùm hic idem Abbas meruit vt ſuæ preces exauditæ eſſent apud Deum, per viſum Angelico alloquio dignus habitus eſt, & in ipſa viſione videbat in quodam terræ loco miſerorum cruciatum, ſed Dei miſericordiam*

quandoque expectantiũ. Cùm verò quidnam hoc esset hæsitaret; ecce Leuita quidam sole splendidior & niue candidior, maxima Angelorum comitatus multitudine adueniens, animam vnam eripuit de igne illo, eamque ingenti cum tripudio ad superna gaudia deferebat. Et Angelus ad Abbatem ait: Iste est gloriosus Martyr & Leuita Laurentius, Deo acceptissimus, qui passionem sustinuit pro Saluatoris nomine sexta Feria; & hoc priuilegium à Deo habet, vt in qualibet hebdomada ipsa sexta Feria vnam possit liberare animã de pœnis Purgatorij. hæc Gregorius præfatus; qui etiam addit, *quòd quicumque in sexta Feria deuotè commemorationem facit sancti Laurentij, non præualebit aduersus illum inimicus.* Non igitur inconueniens est, vt Albertus tam continuus in oratione deuota, vt præmissum est, & maximi zeli, sitiens salutem animarum, quemadmodum copiosissimè demonstrant eius Libri, insuper tantum fructum fecerit animarum per totum orbem, singulare acciperet super animas priuilegium ex dono Dei; cùm zelum animarum acceptissimum sacrificium, teste beato Gregorio, esse nouimus.

CA-

CAPVT LIV.

Reuelatio quòd Albertus beatus sit, & altior in beatitudine quàm communiter saluati.

FVIT in Treuiris quædam nobilis femina de Vilsarbruck, quæ vsque ad octogesimum vitæ suæ annum in castitate & innocentia Deo seruiens opinione celebris habebatur. Hæc quintodecimo die post mortem venerabili Fratri Theoderico tunc Fratrum Lectori in Treuiris, cui solita fuerat confiteri, ad pulpitum in studio suo residenti, visibiliter apparuit, dulciter ipsum salutando; dixitque illi: Ex parte Dei missa sum ad te, vt de rebus, quarum certitudinem affectas, certus sis. Tunc religiosus vir ait: Qualem vitam ducis, Domicella? Quæ respondit: In conspectu sum sanctæ Trinitatis, æternæ beatitudinis gaudio quietata. At ille rursus: Nosti Magistrum Albertum nostri Ordinis Fratrem, qui nuper Coloniæ apud Fratres Prædicatores obiit? Respondit illa: Optimè noui.

Et Lector, Vbi est? inquit. Cui respondit illa, dicens: Gaudet lætitia inenarrabili longè valdè supra nos.

CAPVT LV.

Alia reuelatio diuinitus ostensa, ostendens quòd confirmatus sit in gloria.

ALIVD in eius Legenda habetur, & similiter in Vitas-Fratrũ Prædicatorum, vbi sic legitur: Quædam in Teutonia Abbatissa Cisterciensis Ordinis, per se atque Sorores suas multas fecit pro Alberto orationes nouiter defuncto, eò quòd viuens frequenter eas sua doctrina & admonitione ad bonum inducere solitus erat. Quodam igitur manè cùm dicta Abbatissa paululùm obdormisset, vidit ipsum Albertum ante Altare paratum vt populo prædicaret, sed in aëre stantem; sancta autem femina præ timore clamans, dicebat: Heu! Frater Albertus cadet, quia fulcimentum non habet. Cui adstans persona quædam reuerenda, ait: Frater iste confirmatus est, cadere non potest. Sic igitur

igitur consolata, auscultabat quæ ipse erat prædicaturus. Et inchoans ille ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, vsque ad *plenum gratiæ & veritatis*. Statimque subiunxit: Et hoc oculis meis ego video. sicque disparuit. Ioan. 1.

CAPVT LVI.

Reuelatio de gloria Venerabilis Alberti & beati Thomæ eius quondam discipuli.

EST etiam Libellus quidam continens reuelationes & visiones factas cuidam sanctæ virgini, nomine Machtildis de Helpede, Ordinis Cisterciensis, quæ ab infantia suam virginitatem Domino consecrauerat, tam immunis à peccatis, sicut duo Confessores eius testati sunt, vt tantam innocentiam se numquam reperisse dicerent. quæ se etiam tam vilem ob humilitatis virtutem reputabat, quòd ea quæ per reuelationem à Domino Iesu acceperat, aliis enarrare non tentasset, nisi coacta à suis fuisset; quemadmodum Frater Henricus

cus de Hallis, Teutonicus, Doctor deuotus & gratiosus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui scribit Librum eumdem, affirmat dicens, non hunc Librum præsumptuosa audacia compilatum, sed sui Prælati consilio & præcepto. hic verò Liber ex reuelatione Saluatoris, *Liber spiritualis gratiæ* vocatur, habens hunc Prologum: *Benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*, &c. incipit autem sic: *Fuit Virgo quædam ab infantia à Deo in benedictionibus præuenta*, &c. In quo Libro inter alia & de venerabili Alberto, atque de sancto Thoma de Aquino, qui in illius Virginis tempore paulò antè obierant, hoc quod subiungo continetur, eidem Virgini reuelatum diuinitus. Ait autem istius Libri Auctor, in hunc modum prosequens sermonem: *Venerabilis memoriæ Domini Alberti & Fratris Thomæ de Ordine Prædicatorum animas vidit hæc Virgo velut duos prænobiles Principes, hoc modo cælestia penetrasse. Ecce thronum, cui insederat Rex cæli, conspicit, duasque venerandas personas accedentes ad Regem; in vestibus autem eorum, verba aureis litteris conscripta habebantur, quæ*

ſingula ſplendorem mirificum de ſe diffuderunt, atque excellentem emiſerunt odoris ſuauitatem. Vnumquemque verò Angeli duo mirificis cum candelis præibant vſque ad ſedentem in ſolio maieſtatis. Virgini deinde per ſpiritum reuelatur, has quas viderat perſonas, Albertum & Thomam eſſe; qui tamquam diuina cognitione in terris illuſtrati, necnon igne ſpiritualis amoris quo flagrabant incenſi, aptiſſimè per Angelos duos cum luminaribus qui præibant, ſunt deſignati; eò quòd non parum de Cherubim atque Seraphim dònis haberent. Inſcripta autem verba aureis litteris ſplendorem ex ſe radiantia, doctrina illorum eſt, quam de Chriſti diuinitate atque humanitate ſcribendo docuerunt: vnde iam ipſorum animæ mira iucunditate lætantur, ac ſi odore ſuauiſſimo ſint recreatæ; ſimileſque effecti ſunt Sanctis omnibus ob meritorum copiam, eò quòd omnium illorum conuerſationem, in virtutibus ac doctrina imitari ſtuduerunt in hac corruptibili vita. hæc ex præfato Libro.

CA-

CAPVT LVII.

De interpretatione nominis eius, & quare Magnus sit cognominatus.

NON igitur frustrà hic Doctor magnus hoc nomen Albertus gerit, si interpretatio ipsius nominis inspicitur, & ea quæ huic inerant dona iam proposita mente teneantur. Dicitur enim Albertus ab *Al*, quod est altum, & *ber*, quod est fons siue puteus, & *thus*, quod nomen est arboris immensæ atque ramosæ, gummi album, solidum, mundum, & odoriferum stillantis. Fuit namque altus in diuinarum scientiarum speculatione, non quidem qualitercumque, sed speciali quadam gratia præuentus illic oculum fixit, quò paucissimis consideratione peruenire donatum est: vnde & alto stilo, quæ intellectu conspexerat, digessit, nec capi faciliter à nobis possunt, nisi transcensis infimis, mente & affectu ad superna transeamus. Hinc etiam in ijs quæ corporalia sunt, cunctos præit ingenio, vt quasi alter Salomon disputare de cedro

quæ

quæ in Libano eſt vſque ad hyſſopum qui de pariete naſcitur, potenter valeret. A *ber* dictus eſt, quod fons ſiue puteus ſonat: fons namque ſiue puteus fuit iſte ob copiam doctrinarum. Cùm enim ea quæ Medicorum ſunt promittant Medici, tractentque fabrilia fabri; huic tamen in omni libro ſicut Danieli Dominus dedit ſapientiam, vt omnium Facultatum Profeſſores de fontibus potati Alberti, ſuam extinguerent ſitim; cùm nihil quod ſcire deſiderant homines, magni Doctoris intellectui creditur defuiſſe. Et dum nullum ſcibile ignoraſſe dicitur, putant quidam intellectum adeptum ipſum habuiſſe. Quod ſi verum eſt, in quæſtione relinquimus, qui diffinire incerta non nouimus. vnum tamen affirmare audemus, illud videlicet, In omnibus experto credendum eſt Alberto. *Thus* dictus eſt, quia arbor alta cæleſtis agricolæ manu in medio Eccleſiæ plantata eſt hic beatus, qui ad ardua virtutum omnium ſeſe ſemper extulit. Ramoſa nimis propter numeroſitatem diſcipulorum: quotquot enim ex ipſius doctrina ſiue ſuorum diſcipulorum, ſcilicet beati Thomæ,

mæ, Fratris Vlrici, & alterius Thomæ iam ſæpè dicti ſcientiis eruditi ſunt, & fructum afferunt; quaſi tot Albertus ramos de ſe prodire fecit, cùm diſcipulorum ſcientia ex tanti Magiſtri doctrina originem habuit. Hæc arbor gummi mundiſſimum odoriferum nimis ſtillat per ſanctæ vitæ munditiam, & bonæ famæ fragrantiam: nam in omnem terram exiuit ſonus de bonitate eius, ita vt imperfecti etiam balbutire geſtiant, perfectè loqui non valentes. Vel etiam thuris nomine appellatus eſt, quia continuæ orationis incenſum deuotione præcipua obtulit Deo, cùm tantum orationi incumberet, vt Pſalterium integrum quotidie perſonaret. *Magnus* verò cognominatus eſt, non ob aliud, niſi ob excellentiam ſingularis ſcientiæ in omni re ſcibili, & præclaram famam; eò quòd iuxta Humberti teſtimonium innumerabilem fructum fama, exemplis, & ſcriptis per totum orbem fecerit, & frequentes victorias contra erroneos & hæreticos.

CA-

CAPVT LVIII.

De exhumatione corporis Alberti, & qualiter repertum est non omnino consumptum.

De inuentione autem vel potiùs transpositione corporis eius subiungentes, notandum est, quòd anno Domini M. CCCC. LXXXIII. tertio Idus Ianuarij, altera scilicet die sancti Pauli primi Eremitæ, iussu Reuerendi Magistri Ordinis tunc Coloniæ præsentis, videlicet Fratris Salui de Panorma, apertum est sepulchrum venerabilis Alberti ferreis instrumentis, quia facilis non erat accessus propter lapidem grandem superpositum. quo aperto in præsentia Reuerendi Magistri Salui præfati, ac Prouincialis Prouinciæ Teutoniæ, Priorisque Conuentus Coloniensis, sacræ Theologiæ Professoris; necnon in præsentia Domini Rectoris almæ Vniuersitatis Coloniensis, ac ceterorum Magistrorum Theologicæ Facultatis, & multorum Fratrum, repertum est corpus quod quærebatur. Sarcopha-

cophagus de lapide ſiquidem inuentus eſt, in quo tumba lignea continens venerabilis Alberti corpus terra coopertum. Nam aſſer quo tumba ipſa clauſa fuerat, conſumptus fuit; nimirum quia ſic ducentis & tribus annis cum corpore in terra iacuit. Sarcophago igitur vnà cum lignea tumba & corpore eductis in lucem, terra omnis per Fratres de tumba exponitur, corpore dimiſſo intacto; quod baculum Paſtoralem habuit in manu, annulum de cupro in digito, ſandalia in pedibus, & mitram Pontificalem in capite. Et cùm tanto tempore, vt dictum eſt, in terra iacuiſſet corpus venerabilis Pontificis, non tamen fœtor aliquis de ipſo exhalabat, ſed odor ſuauis de illo emiſſus adſtantes refecit. Sed quod mirabilius videtur, nec ipſum corpus omnino conſumptum fuerat, quia materia oculorum in ipſis ſedibus luminum vſque nunc perſeuerat, & caro in mento cum particula barbæ ſimiliter, atque vna auricula arefacta. Sed & humeri non omnino conſumpti ſunt, cùm etiam vnus humerus pro maiori parte integer eſt. Inſuper & crura ſunt, quibus caro adhæ-

rens arida cernitur, pedesque cum ipsis ſandaliis oſſibus crurium inhærent, & totum corpus ſuperius indiſſolutum quoad oſſa & indiuiſum vſque hodie in eadem tumba iacet. In collo verò, vbi adhuc vna canna cernitur, quæ, vt puto, continuari ſolet pulmoni, vel alteri membro vitali, dependebant hæc, videlicet particula de Cruce Domini, & denarius perforatus cum clauo Domini, atque vnum Agnus Dei de cera ſerico inuolutum: quæ, vt credimus, deuotionis gratia in vita portare conſueuerat, cum quibus & ſepultus eſt. Sic ergo hæc membra & nunc cernuntur, cùm ſit tamen quartus annus poſt ſepulchri aperitionem. Et hoc quidem iuſtè omnipotens Deus in gleba exanimata Alberti fieri voluit, quia intemeratæ Virginis Matris hic Doctor in vita amator atque laudator ſingulariſſimus extitit, nec dubium & imitator feruentior.

CAPVT LIX.

De miraculis quæ referuntur facta Alberti meritis.

ALTERA autem die exhumationis corporis & deinceps multi vtriusque sexus homines pręadmiratione corpus iusti viri cernere cupientes, tumbam cum qua extractum fuerat visitarunt; inter quos nonnulli se meritis ipsius sanitatis beneficium referunt accepisse. Et quamuis de talibus examinatio ad integrum subsecuta non est ob incuriam Fratrum; referre tamen ea, vt à fide dignis accepimus, non formidamus, eò quòd incredibilia non sunt hæc, quæ graues viri intimare voluerunt, prout acceperam ab ijs quibus contigerunt huiusmodi beneficia sanitatis.

Fuit proinde vir quidam Coloniæ, filium habens, qui in tantum visu caruerat, vt pænè nihil videret. Is dum hanc ob causam manuale officium nullum posset addiscere; pater illius, quia rebus pauper erat, non modicum turbatus

batus est. Sed dum auxilio destituitur humano, flagitare idem homo non distulit diuinum. Illo ergo in tempore præfatæ exhumationis, credens Albertum virum iustum apud Omnipotentem tanti meriti esse, vt se, qua premebatur angustia posset eripere, illicò votum emittit venerationis, venerabili Doctori se exhibiturum, si cæcitatem illi qui patiebatur, sua intercessione dignaretur auferre. Et ecce, protinus idem quem tenebræ inuoluerant mœrore, per Deo digni Alberti merita redditus est gaudio & luci; iamque voti compos, absque impedimento sutoris artificium is qui sanus factus est, vt aiunt, exercet.

Eodem tempore mulier quædam longa ægritudine cùm premeretur, audiens de fama Alberti venerabilis Pontificis, votum eidem spopondit. Quo emisso, restituta est sanitati, reddens ea quæ distinxerunt labia illius: & præstitum sibi beneficium silentio tegere voluit; sed suo Confessori, à quo hæc audiui, in laudem Dei & venerabilis Doctoris honorem narrauit.

Alius vir quidam defectum sensus olfactus incurrerat, vt nec fœtidissimi

quidem odoris posset percipere præsentiam, etiamsi corpus perputridum naribus illius appositum fuisset. Et ecce, eo tempore quo corpus leuatum fuerat è terra, vnà cum aliis idem vir tumbam venerandi Patris visitat, corpus videre desiderans. Factumque est vt mox dum corpus inspiceret, etiam illius fragrantiam, restituto sibi sensu, sentiret. Hoc factum percepi à fide digno & religioso Sacerdote, qui se hæc audiuisse dicebat ab illo, qui beneficium hoc sentire meruit.

Alius fluxũ patiens sanguinis (quam infirmitatem Physici dysenteriam vocant) eodem tempore cum aliis sepulchrum Alberti visitans, quia deuotus illi extitit, beneficium meruit sanitatis; vt à fideli Sacerdote recepi, qui ab ore illius cui sanitas collata est, se & alios multos audiuisse hoc testatur.

Sed aliud quoddam beneficium sanitatis venerabilis Alberti meritis impetratum non dubitamus: quod quidem eò certius, quò familiarius; & tantò est excellentius, quantò mirabilius; à Fratre enim ipso, cui hoc contigit, fideli attestatione accepi. Frater nempe ille

Ordi-

Ordinis Prędicatorum, grauissima molestia capitis vexari frequenter ante ingressum Ordinis solebat: qui dum ingressus fuisset Ordinem, post aliquot annos infirmitas per incrementa temporum inualescebat. Cumque in tantum hæc abundaret molestia, vt nec somnum caperet, nec vel vnũ Responsorium decantare cum Choro posset; & quod grauius erat, Psalmodiam cùm leuiter sonaret, pœnam ingerebat verborum prolatio: demum, dum ambularet, mouebatur quandoque cerebrum in tantum, vt motum ipsum audiret; vehementerque timuit, ne penitus cerebro à testa capitis dissoluto, perenne & incurabile discrimen ægritudinis incurreret. Quamobrem compulsus medicaminum subsidia quærere, nequaquam tum releuatus est per ipsa, imò deteriùs habuit. Sic ergo quasi per annum aut ampliùs, hac desolatione Frater ipse attritus, anxius plurimis, de remedio acquirendo diffidebat. Humano igitur auxilio destitutus, cæleste quærit patrocinium. Adiit proinde venerabilis Alberti sepulchrum, quem ob iustitiæ meritum patrocinari credidit, si indu-

bitata fide cum deuotione inuocaretur; flectensque genua, orationem quam statuit ob venerationem ipsius semper deinceps offerre, inchoat ea fide qua potuit Et ecce, paucos post dies tantam recuperabat de hac inualetudine sanitatem, in qua & iam perseuerat, vt singulis diebus adhuc, comparata pristina ægritudine ad præsentem valetudinem, magna teneatur admiratione animi sui: prima enim nocte qua orationem fudit, quasi sensibiliter immutationem in vertice capitis ad sanitatem aduertit; quæ consequenter per incrementa cum orationis continuatione vsque ad perfectum est deducta, fauente Deo, cui laus perennis, haud dubium Alberti meritis indulta. Contigit autem ad tres vel ampliùs annos ante venerabilis Pontificis Alberti exhumationem.

HANC *Legendam fideliter ampliando collegi, auxiliante Deo, ego Frater Ordinis Prædicatorum Conuentus Coloniensis, notus Fratribus nostris, vtinam nominari inter electos merear! sperans Alberti suffragiis*

giis adiuuari, pro cuius honore hunc laborem assumpsi; non tamen audacia præsumptuosa, sed iussu & ex beneplacito mei Superioris. Rogo igitur ne quis aliquid apponat vel immutet, nisi certissimum sit quod apponere vult; & unde sumpserit vel habuerit, notet: aliàs enim, si quisque inserere voluerit quod ei placet, vel vaga & incerta relatione vel fabulatione perceperit, mendacem se, non veridicum Scriptorem, comprobauit. Tenui namque ego hæc compilando sic sobrietatem, vt nonnisi ea quæ certa sunt & probabilia scribere volui; & vnde sumpta sunt, Prologus & ipsa Legenda Lectori demonstrabit.

INDEX CAPITVM LIBRI B. ALBERTI DE ADHÆRENDO DEO.

CAP.

INDEX CAPITVM VITÆ B. ALBERTI.

Typographus Lectori.

Implendis pagellis, B. ALBERTI ad Venerabile Sacramentum & beatissimam Virginem Orationes adiungo. Fruere Lector, & Doctrinam in ijs Pietatemque agnosce.

Oratio venerabilis Domini Alberti Episcopi ad venerabile Sacramentum Eucharistiæ.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, Fili Dei vnigenite, qui ex nostro, & à nobis, & propter nos corpus & san-

ſanguinem & animam humanam & ſpiritum aſſumpſiſti, & per ſanctum Ieremiam Prophetam, quem in vtero ſanctificaſti, pronuntiare dignatus es ,dicens,quòd animas Sacerdotum impleturús eſſes pinguedine,& populus tuus abundaturus bonis: imple ſagina Corporis tui ànimas noſtras,& reple in bonis deſiderium noſtrum;& pręſta,vt tui Corporis & Sanguinis admirabile Sacramentum omnem ſui in nobis veritatis,virtutis,vnitatis, charitatis, puritatis , pietatis , deuotionis & ſanctitatis operetur effectum : vt ſicut tu in Patre & Pater in te eſt , & tu in nobis per incorruptam tuæ ſuſceptionis naturam; ita in te per corporis & animæ maneamus & ſpiritus integritatẽ,incorporati tibi ſacroſancto Corpore tuo ad Sacramentorum tuorum ſalutarem communionem , & tuiipſius dulciſſimam participationem ; infuſi ſacroſancto Sanguine tuo , ad omnium intimorum noſtrorum aſperſionem & emundationem ; redempti ſacroſancta anima tua, ſalutis pretio, ad veram tecum & cum Patre & cum Spiritu ſancto reconciliationem & redemptionem; viuificati ſacro-

crosanctc spiritu tuo ad omnem spiritualis vitæ in nobis deperditæ restaurationem, & sensuum nostrorum illuminationem; gratificati tibi sacrosancta tua diuinitate ad omnem virtutis perfectionem,& de Eucharistia, quæ vas est omnis gratiæ, de plenitudine tua gratiā pro gratia accipientes.: fac nos communicare gratiis,quibus sancti Apostoli tui & discipuli de manu tua hoc Sacramentum percipientes communicauerunt. Operare in nobis sensum & experimentum spiritualis refectionis intercessione omnium eorum qui à te spiritualiter refecti sunt. Operare in nobis fidem,dilectionem, pietatē, deuotionem sacrosanctæ vnctionis per spiritualem perfectionem, quam tibi in cœna beatissima Maria Magdalena exhibuit sollicitudinem, frequentiam, operositatem, diligentiam obsequendi membris tuis, vt experimentalem sensum spiritualis refectionis à te capite mereamur accipere. Operare in nobis consessum Lazari & omnium tecum quiescentium in bonis tuis quibus disposuisti regnum, sicut illud tibi Pater disposuit, vt edant& bibant super mensam

ſam tuam in regno tuo; quia verè beati qui manducabunt panem, qui tu es, in regno Dei. Operare in nobis zelum Petri ignoſcentem, & omnia deſtruentem quæ tuæ ſunt contraria voluntati, quem in cœna tua Petrus contra traditorem concepit. Operare in nobis quietam reſolutionem, à mundi delectabilibus perfectam ſopitationem, felicitatem guſtuum ſancti Ioannis Euangeliſtæ, quibus ad pectus tuum inclinati, & hauſtum ſapientiæ; & guſtum tuæ feliciſſimæ accipiamus dulcedinis & bonitatis. Operare in nobis fidem rectam, ſpem firmam, charitatem perfectam, interceſſione omnium Apoſtolorum & Diſcipulorum tuorum de manu tua hoc Sacramentum ſuſcipientium; & fac nos ſemper aſpernari Iudæ proditionem, & in mentem ſæpè nobis veniat illa ſalutaris influentia quam hoc Sacramentum deſignat, qua te Beatis in cælo ſecundùm Deitatem influens, operaris in eis omnem ſuæ beatitudinis perfectionem: Qui cum dulciſſimo Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Salutatio eiuſdem ad venerabile Sacramentum.

SALVE ſalus mundi, Verbum Patris, hoſtia vera, viua caro, Deitas integra, verus homo. Tibi incorporati mereamur offerri in templo maieſtatis diuinæ, ad Corpus tuum, quod in dextra Patris eſt, tibi ſociati, vt æternitatis tuæ futuri ſimus participes, & beatitudinis tuæ conſortes, & ſanctæ incorporationis tuæ concorporales; quia tibi eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorũ. Amen.

Collecta.

PERFICIANT in nobis, Domine, tua Sacramenta quod continent; vt quod nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Salutatio eiuſdem Patris ad beatam Virginem MARIAM, *eiuſq; Filium benedictiſsimum.*

SALVE in vtero virginali æternæ diuinitati vnita Saluatoris humanitas. Salue carnis noſtræ tegmine velata ad

nos

nos egressa summa & sempiterna Diuinitas. Salue ineffabiliter Spiritus sancti potentia virgineæ carni copulata. Salue in qua habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter. Salue in qua habitauit absque mensura Spiritus sancti gratia. Salue à Deo Patre consecrata Filij Dei mundissima ex te humanitas. Salue super omnes choros Angelorum nunc exaltata, illibata virginitas. Gaude mundi Domina, quæ purissimæ humanitatis Christi templum esse meruisti. Gaude & lætare Virgo virginum, in cuius virginea carne beata Deitas huic almæ humanitati se voluit sociare. Iucundare cælorum Regina, in cuius sacratissimo vtero hæc felix humanitas iucundissimum habitaculum inuenit. Salue & exulta summi Patriarchæ nobilissima proles, quæ hanc sacram humanitatem fouere, & tuis virgineis vberibus lactare meruisti. Salue in æternum benedicta, fecundissima virginitas, per quam fructum vitæ & gaudium salutis æternæ percipere meruimus. Amen.

FINIS.

AP-

APPROBATIO.

BEATI ALBERTI, ex Ordine Prædicatorum Theologi verè Magni, Libellum De adhærendo Deo, argumento & à pietate commendabilem; atque eiusdem Auctoris Vitam, per Vener. F. Petrum de Prussia iam olim conscriptam, recensui. Quodque in illo Christianus instruatur, & ad Deum sequendum excitetur; in hac verò ab obtrectatorum calumniis idem Auctor vindicetur, prælo committenda iudicaui.

Laurentius Beyerlinck Canonicus & Archipresbyter Eccles. Cathedral. Antuerpiensis, Librorumque Censor.

Cum Priuilegio Serenissimorum Belgicæ Principum.

De VVitte.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXI.


CONSTANTI
LABORE E



